(Auch heraldisch interessant
da jede Tafel ein Wappen schmückt!)

with arms of eminent botanists
of the time

QK98
.M352
c.2

THE NEW YORK BOTANICAL GARDEN
PRO SCIENTIA SALUTE POPULIQUE
1891
LIBRARY

Apr. 4. 1728.

Imprimatur.

Hans Sloane. Pr. Reg. Soc.

JOANNIS MARTYN

1699-1768.

HISTORIA

PLANTARUM

RARIORUM.

LIBRARY
NEW YORK
BOTANICAL
GARDEN

——————— Juvat integros accedere fontes
Atque haurire; juvatque novos decerpere Flores. LUCRET.

LONDINI:
Ex Typographia RICHARDI REILY.

MDCCXXVIII.

QK98
.M352
c.2

PRÆFATIO.

LIBRARY
NEW YORK
BOTANICAL
GARDEN

I qua ſapientiæ parte ætatis noſtræ homines Antiquitatem ſuperarint: id ſane in Hiſtoria naturali præſtitiſſe videntur. Utcunque enim Pythagoras ſapientia clarus ac Democritus ipſe Abderites, aliique magni nominis viri alio ſole calentes terras peragrarint: parvam tamen Plantarum copiam in Græcorum ſcriptis, ſi cum hodiernis conferamus invenire licet. Theophraſtum quidem vix plures quingentis: Dioſcoridem vero ſexcentas circiter cognoviſſe conſtat. Inter recentiores autem eo uſque provecta eſt Plantarum cognitio; ut in Bauhini Pinace tot millia quot centena noverint Antiqui inveniamus. Nec mirum, cum tot tantique viri laboribus ſuis rem herbariam auxerint: Dodonæus ſcilicet, Cluſius, Columna, Proſper Alpinus, Bauhinus uterque, et alii non pauci. Sed ab illo tempore, quot qualeſque viri huc vires ſuas contulerint! quot novas intulerunt plantas Raius, Van Rhedius, Hermannus, Tournefortius, Sherardus, per exteras regiones expatiati! Tanquam autem vetus orbis deficeret, ad novum uſque peregrinati ſunt Bontius, Piſo, Marggravius, Hernandez, Plumerius, atque aliorum fere inſtar omnium clariſſimus Sloanius; qui tot novis, tot opimis Naturæ ſpoliis onuſtus ex America rediit; ut de novo orbe triumphaſſe plane videatur. Qualia autem incrementa ex horum laboribus acceperit Botanice, clarius elucebit; cum Pinacem ſuum locupletiſſimum in lucem edere dignatus fuerit Sherardus ampliſſimus; opus ſane dignum quod in ſe ſuſciperet clariſſimus ille Botanicorum Princeps.

SEP 2

Quamvis autem horum induſtriæ tam multa debeamus, multum tamen operis adhuc reſtat. Namque non ſolum indies valde augeſcit Plantarum numerus, ſed et multæ occurrunt, quarum nullæ habentur effigies: multæ quoque, quibus et deſcriptiones deſunt; adeo ut nihil prorſus de iis, præter nomina, in

ſcriptis

ſcriptis Botanicorum inveniatur. Hæc cum mecum meditarer, atque meipſum otio, quo Medici juniores abundare ſolent, ſatis beatum viderem: haud ingratum Botanicis opus me ſuſcepturum judicavi; ſi figuras deſideratas optimi artificis manu pingendas curarem; eaſque deſcriptionibus adjectis publici juris facerem. Novum etiam, atque, ut ſpero, non inutile ornamentum addidi; Plantarum effigies ſuis coloribus exprimendo. Sicut enim multæ minutiæ verbis deſcribuntur, quæ pictoris oculos fugiunt: ita quidem colorum varietates non niſi pictura facile deſcribi poſſunt. Hanc autem paginarum magnitudinem non aliam ob cauſam volui, quam ut cum tabularum magnitudine fere neceſſaria convenirent. Quod Lectorem hoc loco monitum velim, ne quis me pompæ inutilis nimis cupidum hoc feciſſe exiſtimet. Utcunque enim famæ ſim ſtudioſus, tamen minime is ſum, qui illam ex chartæ typorumve magnitudine quærerem.

Vereor ne verbis aliquot novis fictiſque nuper offendantur aures quorundam delicatulæ. Illos autem monere liceat multas eſſe plantarum partes, quarum nomina apud ſcriptores Romanos minime inveniuntur: multas a recentioribus deſcriptas; quæ non niſi indiciis recentibus monſtrari poſſunt.

——— ——— ——— ——— ——— ——— * *Quid autem*
Cæcilio, Plautoque dabit Romanus ademptum
Virgilio, Varioque? ego cur acquirere pauca
Si poſſum invideor, cum lingua Catonis et Enni
Sermonem patrium ditaverit, et nova rerum
Nomina protulerit? licuit ſemperque licebit
Signatum præſente nota producere nomen.

Si vero rem aliquam Romanis veteribus probe cognitam, atque ab illis deſcriptam, novo nomine deſcripſerim, id ſane invitus admodum feci, ac monenti gratias ſum acturus. Scriptores autem recentiores, quos imitari præcipue velim, ſunt Cæſalpinus, Raius, Rivinus, Tournefortius, quos in ſcientia noſtra principes fuiſſe nemo non agnoſcit. Apud hos igitur verborum obſcuriorum definitiones quærat Lector, non enim elementa Botanica, aut Hiſtoriam Plantarum univerſalem, ſed rariorum tantummodo quarundam Hiſtoriam ſcribo. Ipſe autem nova nomina fingendi, aut jam nota novo ſenſu accipiendi licentiam parce admodum ſumpſi. Floris nomen, quod ſenſu plane vago atque indeterminato accipere ſolent ſcriptores, magis quidem ſtricto intelligi velim. Non enim nunc unam, nunc aliam plantæ partem, nunc petala, nunc calycem, nunc ovarium, nunc apices, nunc omnia ſimul ſumpta hoc nomine intelligo; ſed organa ſemper generationis cum ſuis involucris. Hinc Florem illum qui apicibus ſeu organis maſculinis tantum conſtat, maſculinum voco; qui ovario ſeu organo fœminino tantum, fœminium; illum vero qui utriuſque ſexus organis gaudet, hermaphroditum appello; Vaillantium celeberrimum ſecutus. Stamina autem, Stylum, Petala, Calycem, pro floris quidem partibus, licet non neceſſariis, ſemper habeo. Corpus illud, quo Stylus clauditur, novo quidem nomine Fibulam voco: ne aliorum ſcriptorum more cum apicibus, a quibus et ſtructura et uſu omnino differt, confunderem. Quotieſcunque accidit, Pediculum primarium in alios Pediculos quaſi ſecundarios, qui flores ſuſtinent

* Horat. Art. Poet.

eſſe

esse divisum, primarium quidem Pediculum Radium, illos vero, qui flores immediate sustinent, Pediculos appello: quod et ipse Raius in Plantis umbelliferis ab illo dictis facere solebat. Colorem illum purpureum voco, qui ex rubro et cœruleo mistus est, ne a communi sententia abhorrere nimis videar. Vereor tamen ne illo nomine alium prorsus colorem veteres intellexerint. Quotiescunque de colore suaverubente loquor, haud sane speciem aliquam coloris determinatam intelligo, sed suavem tantummodo seu elegantemru borem; quod ex antiquorum mente me feciisse existimo.

Plantas omnes quas in hoc opere descripturus sum, in Anglia nostra florentes licet conspicere. Harum magnam sane copiam Horti Londino vicini præbent: inter quos Hortum præcipue Chelseianum adeo; usui quippe publico a liberalissimo Sloanio destinatum. Hunc enim cum Societati Pharmaceuticæ Londinensi donaret; privato usui accommodari noluit humano generi amicus. Ibi Plantarum numerum sane ingentem, eumque indies crescentem summa cum voluptate videmus, curante eruditissimo Rando: qui multas nondum quidem descriptas cum Societate Regia non ita pridem communicavit. Harum nomine tenus in Actis Philosophicis memoratarum Historiam præ aliis in opere nostro continere cupio: ipsarum enim specimina nominibus adnexis, in Musæo Societatis Regiæ curiose admodum servantur.

De cultura autem, cujus in praxi me parum esse versatum ingenue fateor, amicum jucundissimum Millerum semper consulo: quem in Plantis colendis versatissimum esse, nemo, opinor, dubitabit. Hortulano autem experientissimo fidem dare possunt Lectores, quam homini umbratili forsan denegarent.

Quotiescunque Planta occurrit, cujus Vires aliquot mihi notæ sunt: eas semper adjicio. Id autem omne, quod super hac re scribo, vel ex scriptore optimo, vel ab amico fide digno, vel experientia mea didici. Vires autem dubias, aut mihi suspectas omittere potius quam Lectorem in errores adducere cupio.

Cæterum in hoc opere multa fore errata, multa omissa præsentio. Siquis autem delicta monebit, operam haud inanem sumpturus est. Non enim errores tantummodo libenter corrigam, sed et grato animo monita accipiam.

Dabam Londini, Martii 25°. 1728.

INDEX LINNÆANUS.

1. p. 1. Mirabilis dichotoma.
2. p. 3. Geranium inquinans. *Pelargonium inquinans*
3. p. 4. Geranium chium. *Erodium chium*
4. p. 5. Prunella caroliniana. *Mill. dict.* vulgaris (ut videtur) varietas. *Prunella pensylvanica*
5. p. 6. Amaranthus cruentus.
6. p. 7. Celosia margaritacea.
7. p. 8. Parietaria orientalis, Polygoni folio canescente. *Tourn. cor.* 38. *Parietaria polygonoides*
8. p. 9. Phyllanthus Niruri.
9. p. 10. Phlox carolina.
10. p. 11. Aloe disticha β.
11. p. 13. Solidago marilandica. *Mill. dict.*
12. p. 14. Solidago altissima.
13. p. 15. Geranium papilionaceum *Pelargonium papilionaceum*
14. p. 16. Geranium alceoides? *Pelargonium columbinum*
15. p. 17. Euphorbiæ species. Tithymalus creticus Characias angustifolius, villosus et incanus. *Tourn. cor.* 1.
16. p. 18. Scutellaria orientalis.
17. p. 19. Aster grandiflorus.
18. p. 20. Helianthus atrorubens.
19. p. 21. Cassia ligustrina.
20. p. 22. Cassia barbadensis, pinnis foliorum mucronatis, calyce floris non reflexo.
21. p. 23. Cassia marilandica.
22. p. 24. Crassula scabra.
23. p. 25. Cleome viscosa.
24. p. 26. Coreopsis lanceolata.
25. p. 27. Pancratium caribæum.
26. p. 28. Geranium angulosum. *Mill. dict.* *Pelargonium angulosum.*
27. p. 29. Sida crispa.
28. p. 30. Mesembryanthemum ringens felinum. *Mesembry anthemum felinum.*
29. p. 31. Agarici varii.
30. p. 32. Fuci varii.
31. p. 33. Sidæ species. Abutilon americanum, flore albido, fructu e capsulis vesicariis planis conflato, pediculo geniculato.
32. p. 34. Malva caroliniana
33. p. 35. f. 1. Antirrhinum triste. f. 2. *Lin.* *Linaria tristis*
——— f. 2. Antirrhinum repens, f. 1. *Lin.* *Linaria repens*
34. p. 36. Passiflora serratifolia.
35. p. 37. Passiflora cuprea.
36. p. 38. Croton palustre.
37. p. 39. Maranta arundinacea.
38. p. 40. Gronovia scandens.
39. p. 41. Milleria quinqueflora. &
40. p. 42. Martynia annua.
41. p. 43. Crotalaria sagittalis.
42. p. 44. Sophora alba. *Podalyria alba*
43. p. 45. Cleome spinosa?
44. p. 46. Croton lobatum.
45. p. 47. f. 1. Milleria biflora. *Milleria biflora*
——— f. 2. Milleria quinqueflora. β. *Milleria quinqueflora* β
46. p. 48. Statice sinuata. β.
47. p. 49. f. 1. Turnera ulmifolia.
——— f. 2. ——— β.
48. p. 50. Limodorum altum.
49. p. 51. Passiflora holosericea.
50. p. 52. Passiflora Vespertilio.

Cum tabulæ careant numeris, cel. Linnæus citat paginas hujusce operis.

Ialapa Officinarum.

I. van Huysum pinx

E. Kirkall fe.

Hansio Sloane Bar.
Coll. Med & Soc. Reg Lond.
Praesidi.

HISTORIAE
PLANTARUM RARIORUM
CENTURIAE PRIMAE
DECAS PRIMA.

IALAPA Officinarum. Jalapa Officinarum fructu rugoso Tournef. Inst. 130. Bryonia Mechoacana nigricans C. B. Prod. 135. Pin. 293. J. B. 2. 151. Ger. emac. 873. Mechoacana nigricans sive Jalapium Park. 180. Convolvulus Americanus Jalapium dictus Raii Hist. 724.

Ex Radice oblonga, crassa, carnosa, Caulem attollit ramosum, sulcatum, ex viridi rubentem; in exortu Ramorum insigniter extumescentem; Foliis adversis vestitum; ex lata basi in acumen definentibus. Florem gerit hermaphroditum, ex Ovario nempe subrotundo, sulcato; & Apicibus quinque luteis constantem. Ovarium autem Stylo ornatur tenui, longo, recurvo; fibula rubicunda clauso. Apices Staminibus suaverubentibus insident. Petalon, ex tubo piloso, suaverubente, unciali aut longiore in quinque segmenta coccinea expanditur: & Calyce brevi quinquepartito munitur. Caeteris Floris partibus elapsis, Ovarium Calyce munitum grandescit: fitque Fructus ex uno Semine constans, quod cortice crasso, nigro, rugoso, sulcato, tegitur. Flos jucundum spirat odorem. Omnibus suis partibus minor est quam Jalapa vulgaris, excepto Semine, quod majus est & rugosius.

Primam hujus Plantae notitiam Casparo Bauhino debemus: cui tamen praeter Radicem nullam aliam partem notam fuisse patet. Quam Mechoacae similem esse scribit, sed cortice nigricante vestitam, interius rufescentem. Ex India Chelapae sive Celapae nomine circa annum 1600 allatum fuisse idem testatur: atque ab Alexandrinis & Massilienfibus Jalapium vel Gelapio vocari. Gustum ei tribuit non ingratum & gummosum, resinosum rectius dixisset. Ob copiosam, inquit, gummositatem, si carbonibus vel igni admoveatur, flammam concipit. Facultate vulgarem sive albam Mechoacam superat: nam ob gummi copiosum, fortius humores serosos purgat, cum imi ventris levi dolore, & praecipue viscera, hepar & ventriculum roborat. Quare drachmae unius pondere exhibetur tuto, & sine fastidio opus suum exequitur. Sunt qui ea in dosi, cum aqua Cichoreae, aut simili stillaticia, seu jure, actu frigidis, tribus horis ante prandium, aegris propinent. Haec Bauhinus, cujus verba plerumque caeteri post illum scriptores tantummodo transcribunt.

Parkinſonus quidem ab Indiae loco quodam Chelapa ſive Calapa dicto neſcio qua auctoritate fretus afferri teſtatur. Vereor ne quod de Plantae nomine tradidit Bauhinus id de loci nomine interpretetur vir parum eruditus.

Moriſonus (Hiſt. Ox. p. 5.) Bauhinum more ſuo graviter incuſat quod Bryoniae ſpeciem fecerit. Ipſum vero Plantam noſtram vidiſſe, aut ad aliud quodvis genus retuliſſe nullibi, quod ſciam conſtat.

Ad Convolvuli Genus refert Raius quod Mechoacannae albae affinem eſſe judicaſſet; quam Marggravii auctoritate fretus Convolvuli ſpeciem conſtituiſſet.

Tournefortius quidem ad ſuum genus primus revocabat; a Plumerio ſcilicet & Lignonio ex America reducibus edoctus; qui ſaepe affirmabant radices Jalapae, quae in Officinis uſurpatur non differre ab ea ſpecie quam Jalapam officinarum fructu rugoſo ipſe appellavit.

JALAPAE Radix inter celeberrima noſtrae aetatis cathartica merito recenſetur. Optima habetur, cujus taleolae compactae ſunt; venis reſinoſis ſtriatae; manu difficiles fractu, piſtillo vero faciles; coloris griſei; ſaporis nonnihil acris. Aquas ſpecifice expurgare creditur; unde in Hydrope frequens ejus uſus eſt. Doſis eſt a ſcrupulo uno ad drachmam unam. In Reſina hujus Radicis extrahenda multum laboris impendunt nonnulli, parvo autem cum fructu noſtra quidem ſententia: in ſubſtantia enim tutius atque efficacius exhibetur. Reſinae Doſis eſt a granis ſex ad ſedecim.

HANC Plantam non minus elegantem quam utilem, ex Piſis pro varietate Mirabilis Peruvianae exceptam, primus inter Anglos in horto ſuo colebat Botanicus eximius Carolus Du Bois; & cum Horto Chelſeiano aliiſque poſtea communicabat. Semina in pulvino calente ſerito: cum Plantae ſex uncias altae fuerint transferantur. Julio menſe florere incipit, atque in florendo ad Hyemis uſque adventum pergit. Radices Hyemali tempore poſſis conſervare, Hybernaculi ope a tempeſtatum injuriis tegendo; aut in arena ſicca continendo; & Martio menſe iterum ſerendo. Sunt etiam qui ſemina in terra vulgari Menſe Aprili ſerunt: ſi vero hoc feceris Flores multo ſerius ſunt expectandi.

GERANIUM

Geranium Africanum, arborescens Malvae folio, lucido,
flore elegantißimo, kermesino, Divan Leur Boer.

Jacob Huysum pinx.

E. Kirkall fe.

Gulielmo Sherard. LL.D.
Soc. Reg. Lond. Sodali.

GERANIUM Africanum, arboreſcens, Malvæ folio, lucido, flore elegantiſſimo, kermeſino, Di van Leur. Boer. Ind. 262.

CAUDEX, ab imo fere ſtatim ramoſus, Cortice caſtanei coloris tegitur, ac tomento deciduo obducitur. Foliis ornatur craſſis, lucidis, utrinque villoſis, ſubrotundis, in margine ſinuatis & crenatis, graveolentibus, longis Caudis donatis. In Rami latere ex adverſo Folii prodit Radius ſemipedalis, aut longior, pilis albicantibus hirſutus; in extremitate in multos Pediculos quaſi umbellatim diviſus. Horum ſingulis inſidet Flos hermaphroditus, pentapetalus, irregularis: petalis binis ſuperioribus minoribus, tribus inferioribus majoribus, coccinei coloris, ungue tamen albo, in extremitate ſubrotundis, integris. Calyce donatur quinquefido, hirſuto. Singulis Floribus quina ſuccedunt Semina axi medio circumpoſita, per maturitatem abſcedentia, Caudaeque eleganter plumoſae annexa.

ELEGANS haec Geranii Species circa Annum 1718 in Angliam primo fuit advecta: jam vero ob florum elegantiam adeo frequenter in hortis colitur, ut inter vulgatiora Gerania Africana haberi poſſit. Surculos transferendo facillime feritur: quod menſibus aeſtivis agendum. In Pulvinum apertum terrae cribratae & levis deplantandi ſunt Surculi & frequenter irrigandi. In Hybernaculo per hyemem ſervari oportet: & coelo libero frui, quotieſcunque tempeſtas permiſerit: cujus egeſtas plures hujus indolis Plantas enecare ſolet quam ipſius Frigoris ſaevities.

GERANIUM Chium, vernum, folio Caryophyllatae Tourn. Coroll. 20.

CAULES huic Plantae rotundi, virides, ramoſiſſimi, ad diviſiones inſigniter nodoſi: Foliis veſtiti per margines crenatis, & Caryophyllatae fere in modum laciniatis: Florum Petala colorem habent purpureum; Apiceſque ambiunt luteos; inter quos Stylus conſpicitur croceus, quinquepartitus. Singulis Floribus ſuccedunt Semina quina, nuda.

IN orientali plaga primus invenit Tournefortius. Quamvis autem coelo calidiore naſcatur; non tamen tempeſtates noſtras reformidat. Ea plane facilitate Semina ſua ſine ullo cultu ſerit, ut illam Angliae indigenam eſſe crederes. Semina tempore autumnali ſerito; ab Aquilone Euroque defendito. Aprili menſe florere ſolet; & ſolum ſiccum amare videtur.

BRUNELLA

Geranium Chium, vernum, folio
Caryophyllatae Tourn.

Richardo Middleton Massey M.D.
Coll Med Lond Socio honorario
Soc. Reg. Lond. Sodali.

I. van Huysum pinx

E. Kirkall fe.

Brunella Caroliniana, magno flore dilute coeruleo, internodiis praelongis Rand.

J. Van Huysum pinx. *E. Kirkall sculp.*

BRUNELLA Caroliniana, magno flore, dilute coeruleo, internodiis praelongis Rand. Act. Philoſ. N° 395. p. 125.

RADICEM habet fibroſam. Caulem quadratum, pilis albicantibus caneſcentem: Ramis Foliiſque ex adverſo poſitis ornatum. Foliorum autem paria intervallis praelongis diſtinguuntur. Caulis & Ramorum ſummitates Spicis terminantur ex denſis Florum verticillis compoſitis. Sub ſingulis autem verticillis ponuntur Folia duo brevia, lata, piloſa, in acutum mucronem definentia. Floribus gaudet labiatis, ut in reliquis hujus generis; coloris dilute coerulei, medio barbae ſegmento pulchre fimbriato: Calyce piloſo.

SEMINIBUS ex Carolina Catesbeii beneficio acceptis in Horto Chelſeiano Anno 1725 proveniebat, unde & eam in alios hortos jam transferri videmus. Loco aperto Vere vel Autumno nullo negotio ſeritur. Frigora hyberna non male perferre ſolet: & Plantis radicis etiam propagari poteſt.

AMARANTHUS Sinenſis foliis variis, panicula eleganter plumoſa.

Ex Radice fibroſa, Caulis aſſurgit craſſus, rubens, ſulcatus, ramoſus; Foliis nullo ordine poſitis veſtitus, in acumen deſinentibus, colore rubro in marginibus & media parte variis. Caulis & Ramorum extremitates Panicula ſpecioſa, amoene rubra, & quaſi plumoſa terminantur.

VARIIS in Hortis circa Londinum colitur; & Semina quotannis maturat. Semina autem pulvino calente Februario menſe ſerito. Cum ad digiti altitudinem Plantae pervenerint in pulvinum alium tranſferantur: atque in tertium cum pedem altae fuerint. Jamque ut intervallis rectis diſtent curato, frequenter irrigato, atque aeri tempeſtate ſerena exponito. Junio menſe in vaſa fictilia transferre poteris: ubi hilari vultu uſque ad Octobrem nitebunt, niſi mala fuerit Tempeſtas. Simili plerumque modo & aliae Amaranthi Species ſunt colendae.

Amaranthus Sinensis foliis variis, panicula elegantur plumosa.

Jacobo Douglass. M.D.
Col. Med. Lond. Soc. hon.
Soc. Reg. Lond. Sodali.

Hayman pinx.

AMARANTHUS spica albescente habitiore.

RADICEM habet fibrosam. Caulem sulcatum & quasi angulosum, viridem, ab imo fere in plures ramos divisum. Folia nullo ordine ponuntur, acuminata, rubro colore plerumque varia. Caulis & Ramorum extremitates in Spicas abeunt habitiores, biunciales, coloris albidi, cum rubro, praecipue in parte superiore mixto. Singulis Floribus succedit Vasculum membranaceum, per maturitatem horizontali sectione divisum, & Semina effundens nigra reniformia.

SIMLITUDINEM haud sane exiguam cum illa Specie habere videtur quam Amarantum spicatum, argenteum, Americanum vocavit doctissimus Boerhaave. Spicam vero habet habitiorem, & coloris varii; cum illius spica pura sit. Foliis etiam latioribus donatur. Quin Semina illius alteram speciem protulisse unquam, nondum, quod sciam, observatum est.

COLITUR eo modo quo & alii Amaranthi, minus autem aliquanto tener esse videtur.

PARIETA-

Amaranthus spica albescente habitiore.

Nobilissimo
Edvvardo Oxoniæ
Comiti &c.

I. van Huysum pinx

E. Kirkall fe.

PARIETARIA Orientalis, Polygoni folio, canescente Tourn. Corol. 38.

CAULEM attollit ab imo statim valde ramosum, ex viridi rubescentem: Foliis vestitum longis, valde angustis, acuminatis, canescentibus. Flores & Semina profert in foliorum alis conferta.

FEBRUARIO Mense loco aperto seritur: ac semina sua sine ullo fere cultu ad maturitatem sub Autumnum perducit.

NIRURI

Parietaria Orientalis, Polygnoni folio Cansente Tourn.

Niruri Barbadense, folio ovali subtus glauco, pediculis Aorum brevissimis Rand.

Christophoro Green Medicinæ apud Cantabrigienses Professori Regio.

J. Van Huysum pinx.

B. Reyn sculpt.

NIRURI Barbadenſe, folio ovali ſubtus glauco, pediculis florum breviſſimis Rand. Act. Philoſ. N° 399. p. 295.

RADIX huic fibroſa. Caulis tenuis, rigidus, ramoſus, nonnihil rubeſcens. Rami foliis nudi in plures Ramulos dividuntur: quos alternatim veſtiunt Folia ſuperne glauca; inferne caneſcentia. Ex alis Foliorum brevibus pediculis dependent Flores varii ſexus in eodem Ramulo: omnes quidem unicum habent folium, ſeu mavis Petalon, in quinque aut ſex ſegmenta diviſum. Flores maſculini tres habent Apices luteos, Staminibus totidem innixos. Foeminini Ovarium habent Stylo triplici donatum, extremitatibus bifidis. Ovarium autem fit Fructus, ſex plerumque Seminibus conſtans, arcte adhaerentibus; per maturitatem vero cum impetu diſſilientibus.

IN terra ex Inſula Barbadoes miſſa copioſe provenire ſolet: unde variis in Hortis circa Londinum frequens occurrit. Pulvinum amat calentem, atque Hybernaculo aeſtivis etiam menſibus ſervari. Quibus omiſſis Semina ad maturitatem haud perducet. Semina matura quaquaverſum projicit, adeoque per totum Hybernaculi ſpatium non raro ſeritur.

LYCHNIDEA Caroliniana, Floribus quasi umbellatim dispositis; foliis lucidis, crassis, acutis.

CAULEM habet rotundum, hirsutum, ramosum: foliis adversis vestitum; quae tamen versus summitatem Caulis alterno aut nullo ordine adnecti solent. Sunt autem Folia longa, angusta, in acutum definentia, crassa, lucida, nulla cauda Cauli appensa. Flores in summitate Caulis quasi umbellatim aggregantur, hermaphroditi; Ovario scilicet atque Apicibus quinque aureis compositi. Ovarium Stylo ornatur tenui in tria aut quatuor segmenta flava divisо. Petalon amoene purpureum ex tuba unciali in quinque segmenta expanditur. Ex tubae parte superiori Stamina oriuntur breviſſima, Apices sustinentia. Reliquas Floris partes involvit Calyx tubulosus quinquefidus.

Ex Carolina acceptam primus colebat Cowellus quidam Hortulanus Hoxtonienſis: qui cum aliis prope Londinum Hortis postea communicabat. Plantis radicis aestivo tempore facillime propagatur. Solum amat calidum ac leve. Frigora hyemalia perferre solet. Aestate floret: Semina autem ad maturitatem nostro coelo non perducit.

Lychnidea Caroliniana

Floribus quasi umbellatim dispositis; foliis lucidis, crebris acutis.

Johannis Caspari Scheuchzer M.D.
Soc. Reg. Lond. Sodali.

J. Van Huysum pinx.

E. Kirkall fec.

Aloe Africana, foliis planis, conjugatis, carinatis, verrucosis, caule & flore corallii colore Boer.

J. Van Huysum pinx.

E. Kirkall fecit.

ALOE Africana, foliis planis, conjugatis, carinatis, verrucosis, caule & flore corallii colore Boer. Ind. 2. 131.

FOLIA huic crassa, non in orbem posita, sed sibi mutuo incumbentia, & quasi conjugata; maculis albis obscure varia; in spinam desinentia; ex lata basi sensim gracilescentia, circa margines verrucis albicantibus aspera. Inter Folia Caulis oritur bipedalis, circa imam partem ex viridi cinereus, in summitate vero rubescens. Floribus ornatur incurvis, ex rubro, viridi & albo variis, marginibus in sex segmenta divisis. Apices sex flavi Staminibus totidem albis insident. Ovarium oblongum, sex sulcis distinctum, Stylo ornatur simplici, albo.

Ex Hortis Batavis in Angliam translata, jam multis in locis colitur. Plantis Radicis facillime propagatur: & Semine etiam interdum feritur, quod non raro nostro etiam coelo perficit. Leve atque arenosum amat Solum. A pruinis pluviisque hyemalibus defendito; quod Hybernaculi nullo igne calentis ope possis facere. Aeri autem liberiori exponito, quotiescunque coelum permiserit.

Virga aurea Marilandica, spicis florum racemosis, foliis integris, scabris.

Van Huysum pinx.

Hermanno Boerhaave
A. L. M. & M. D.
In Academia Lugduno-Batava
Botanices, Chemiae & Medicinae
Professori.

E. Kirkall fe.

HISTORIAE
PLANTARUM RARIORUM
CENTURIAE PRIMAE
DECAS SECUNDA.

VIRGA aurea Marilandica, ſpicis florum racemoſis, foliis integris, ſcabris.

Radice modo tam luxurioſo repente adeo ſe propagat, ut hortum fere totum, niſi arte cohibeas, brevi occupet: Caules attollit ſex aut ſeptem pedes altos: foliis ornatos alternis, utrinque ſcabris, quinque uncias longis, vix unam latis. Quae vero in ſuperiore parte caulis habentur, multo minora ſunt. Florum ſpicae ex racemulis componuntur. Singuli autem Flores Calyce donantur ſquamoſo.

Ex Marilandia adductae ſunt radices, Tulipiferae arbori caſu quodam contiguae. Unde Horto Chelſeiano decus haud exiguum additur. Coeli noſtri injurias non reformidat.

VIRGA aurea altiſſima, ſerotina, panicula ſpecioſa, patula Rand. Act. Philoſ. N°. 376. p. 284.

Ex Radice repente Caules exurgunt ſex aut ſeptem pedes alti, villis albicantibus hirſuti: Foliis veſtiti alternatim aut nullo ordine poſitis, ſeſſilibus, integris, ſubtus hirſutis, quatuor aut quinque uncias longis, vix unciam media parte latis, in utraque extremitate valde anguſtis. Rami undique frequentiſſimi cernuntur, foliis multo minoribus obſiti, in ſpicam ſeu thyrſum ex floribus aureis compoſitum ſinguli deſinentes. Flores pediculis breviſſimis inſident, foliolo ad ſingulorum exortum appoſito, & ſurſum tantummodo ſpectant. Diſcum autem habent radiatum, Calycem ſquamoſum, Placentam nudam. Semina pappo coronantur piloſo, ſeſſili.

Ex ſeminibus in Horto Chelſeiano ſatis primum, quod ſciam, apud nos proveniebat. Plantis radicis vere vel autumno facile propagatur. Coelum noſtrum non male perferre ſolet. Autumno floret: quo tempore Aſteris ſpeciebus ſimul florentibus permiſta, grata varietate aurei purpureique coloris oculos exhilarat.

GERANIUM

Virga Aurea altissima, serotina, panicula speci-osa, patula Rand.

Joanni Wilmer Pharmacopoeo Londinensi.

Van Huysum pinx.

E. Kirkall fe.

Geranium Africanum, arboreſcens, Malvæ folio mucronato, petalis florum inferioribus vix conſpicuis Rand.

Sereniſſimo Jacobo Duci de Chandos &c.

Van Huyſum pinx.

E. Kirkall fe.

GERANIUM Africanum, arboreſcens, Malvae folio mucronato, petalis florum inferioribus vix conſpicuis Rand. Act. Philoſ. N°. 388. p. 307.

CAUDICE aſſurgit inaequali; in multos ramos diviſo; ac tomento copioſe obducitur. Foliis nullo ordine poſitis veſtitur, anguloſis, utrinque hirſutis, graveolentibus. Flores in Umbella naſcuntur ſimplici, perianthio ex quinque, ſex, aut ſeptem foliolis conſtante, ornata. Petala in ſingulis floribus quinque, quorum duo majora ex anguſta baſi in latum deſinunt, cordata, coloris carnei; in media autem parte macula ſaturatiore ornata; & ſtriis palleſcentibus diſtincta. Alia vero tria valde anguſta ſunt & fere inconſpicua. Ovarium Stylo ornatur ſuaverubente, in extremitate quinquefido. Apices quinque miniati Staminibus totidem albeſcentibus innituntur. Hae autem floris partes Calyce in ſegmenta quinque reflexa diviſo teguntur.

EODEM modo colitur quo Geranium Africanum in Decade prima deſcriptum coli ſolet.

GERANIUM folio Alceae tenuiter laciniato, flore pentapetalo, purpuraſcente, ſemine tenui Boer. Ind. 266.

RADICE nititur lignoſa, primo ſimplici, poſtea vero in brachia plura varie diviſa, altius in terram infixa. Hinc folia prodeunt numeroſa, per terram ſparſa, oblonga, atque Alceae in modum laciniata; caudis adnexa uncialibus aut biuncialibus, inferius convexis, ſuperius vero planis & ſulcatis; pilis albicantibus aſperis. Ex horum medio Caules exurgunt ramoſi tenues & procumbentes, ad genicula nodoſi; & Foliis ornati longis caudis innixis, magiſque quam inferioribus laciniatis. Ex geniculis etiam prodeunt Radii quatuor uncias longi, quorum ſinguli Umbellam quinque aut plurium Florum ſuſtinent, irregularium: Petala nempe tria ſuperiora ejuſdem fere ſunt magnitudinis; duo autem inferiora his aliquot breviora: omnia quidem purpurea; atque in extremitatibus obtuſa. Calyx his obducitur viridis in quinque ſegmenta ſulcata, acuta, diviſus. Fructus ſuccedit ut in reliquis Geraniis roſtratus; roſtro tenui, biunciali & longiori; Semina hic inde ſpargens matura.

AD Hortum Chelſeianum primo miſit clariſſimus Boerhaavius: poſtea vero in Horto Lugduno-Batavo ſemina collegit Millerus; unde iſta cujus effigiem & deſcriptionem jam exhibemus Planta proveniebat. Semina ſponte ſua ſerit, quae nullo cogente facile adoleſcunt.

TITHYMALUS

Geranium folio alceae, tenuiter laciniato; flore pentapetalo, purpurascente; semine tenui Boer.

Richarde Rawlinson LL.D.
Soc. Reg. Lond. Sodali.

E. Kirkall fe.

Tithymalus Creticus, Characias, angustifolius, villosus & incanus Tourn. Coroll. 1.

Richardo Richardson M.D.
Societatis Reg. Lond.
Sodali.

Van Huysum pinx.

E. Kirkall fe.

TITHYMALUS Creticus, Characias, anguſtifolius, villoſus & incanus Tourn. Corol. 1.

CAULIS hujus in exortu rubet, in ſuperiore vero parte vireſcit: tomento etiam obducitur: & Cortice, qui, pro more Tithymalorum, lacte acerrimo abundat, tegitur. Folia ſeſſilia caulem undique denſo agmine cingunt, longa, anguſta, acuminata, nervo per mediam longitudinem decurrente; ſuperne glauca, inferne caneſcentia & villoſa. Verſus ſummitatum caulis ex ſingulis foliorum alis prodit Pediculus uncialis, villoſus, Perianthii unifolii medio infixus. Perianthium autem pelvis ovatae figuram refert, circa mediam longitudinem utrinque crena levi notatae, adeo ut e duobus foliis quodammodo conflari videatur. Ex medio Perianthii hujuſce, breviſſimo aut nulli pediculo inſidens oritur Flos hermaphroditus, unico donatus Petalo, viridi, in quatuor ſegmenta, lata, reflexa, obſolete purpurea expanſo. Mediam floris partem occupant Stamina vireſcentia: Apices luteos, duplices ſuſtinentia. Haec autem Pediculum cingunt, qui Ovarium ſupra Petalon eminens ſuſtinet. Ovarium etiam villis totum incanum eſt. Stylo ſextuplici ornatum: atque in Fructum tandem abit tricoccum. Ab utroque Floris latere, ex imo Perianthii, alius oritur Pediculus brevis aliud etiam Perianthium ſuſtinens; aliumque ejuſdem ſtructurae florem geſtans.

SURCULIS avulſis vere vel aeſtate ſeritur. Tres aut quatuor dies loco umbroſo eos reponito; deinde vero terrae ſabuloſae committito. Idque eo plane modo ut ſolem matutinum excipiant, meridianum vero fugiant. Frequenter ſed parca manu irrigato. Hi autem Surculi ſex circiter hebdomadum ſpatio radices in terram agent: quo tempore in vaſa fictilia eos transferre poteris. Quae accedente hyemali frigore in hybernaculum ſunt inferenda. Sunt etiam qui terrae vulgari malunt committere; ſi vero hoc feceris, juxta ſepem ſerito, quae plantas tuas ab aquilonis eurique injuriis poſſit defendere. Semina ad maturitatem ſub noſtro coelo ſolet perducere, quae verno tempore ſata facile adoleſcunt.

CASSIDA Orientalis, Chamaedryos, folio, flore luteo Tourn. Coroll. 11.

RADICEM habet fibroſam; Caules ramoſos, repentes, rubeſcentes; Foliis veſtitos profunde crenatis, ſuperne ſplendide virentibus, inferne albeſcentibus; caudis vix uncialibus appenſis. Flores gerit labiatos in ſummis caulibus; quorum ſinguli folio cymbae inſtar, paulo infra florem ipſum exorto, excipiuntur. Calyx exiguus admodum conſpicitur, ex quo Petalon praelongum erigitur, pallide luteum; Barbam habens flavam, in medio leviter crenatam; Galeam fornicatam, integram; ac fauces reflexas.

SEMINA hujus Plantae facile proveniunt, ſi terrae levi verno tempore commiſeris. Quin & rami repentes numeroſam ſobolem proferre ſolent. Solum ſiccum, atque ab aquilone euroque defendi amat.

ASTER

Cassida Orientalis, Chamædryos folio, flore luteo Tourn.

Joanni Symonds Heigham
Collegii Caio - Gonvill
Alumno.

W.th. Hayman pinx.

Aster Virginianus, pyramidatus, Hyssopi foliis, asperis, calycis squamulis foliaceis Rand.

Francisco Clifton M.D. *Coll. Med.*
Lond. & Soc. Reg. Socio.

Van Huysum pinx.

F. Kirkall fe.

ASTER Virginianus, pyramidatus, Hyſſopi foliis, aſperis, calycis ſquamulis foliaceis Rand. Act. Philoſ. N°. 395. p. 125.

Ex eadem Radice, Caules plurimi exurgunt, rigidi, nonnihil rubentes, ramoſi: Foliis nullo ordine poſitis, ſeſcuncialibus, anguſtis, veſtiti. Ramuli ſinguli unico terminantur Flore diſcoide, radiato: ex diſco ſcilicet Floſculorum luteorum, & radio Semifloſculorum coloris ex purpuro caerulei compoſito. Semen pappo piloſo coronatur. Calyx conum inverſum refert; multis foliorum ordinibus a Flore extantium ſquamoſus.

HANC Plantam aliquot abhinc annis ex Virginia Catesbeii beneficio accepit Fairchildus Hortulanus celeberrimus: qui cum aliis hortis communicavit. Tempeſtates noſtras niſi peſſimae fuerint, perferre ſolet. Plantis radicis propagatur. Floret ab Octobris initio ad Decembrem uſque. Semina autem ad maturitatem noſtro coelo nondum perduxit.

CORONA

CORONA Solis Caroliniana parvis floribus, folio trinervi, amplo, aſpero, pediculo alato Rand. Act. Philoſ. N°. 395. p. 125.

CAULEM habet rubentem; pilis rigidis, albicantibus, aſperum; medulla farum; ramoſum. Folia etiam pilis albidis utrinque aſpera; nervis tribus magis conſpicuis inſigniuntur, marginibus criſpis. Florem habet diſcoidem, radiatum: ex diſco ſcilicet. Floſculorum luteorum; & radio Semifloſculorum flavi coloris compoſitum. Placenta glumis longis in alveum flexis ornatur. Calyce donatur ſquamoſo. Odorem reſinoſum vehementer ſpirat.

HANC Plantam Carolinae indigenam primus invenit Catesbeius, atque ad Hortum Chelſeianum tranſmiſit. Floret a Septembris fine ad medium uſque Novembrem. Semina apud nos nondum ad maturitatem perduxit. Plantis Radicis propagatur: atque a pruinarum hyemalium ſaevitie defendi debet.

CASSIA

Corona Solis Caroliniana, parvis floribus, folio trinervi, amplo, aspero, pediculo alato Rand.

Rev. Stephano Hales B.D.
Soc. Reg. Sodali.

van Huysum pinx.

E. Kirkall sculp.

Caſsia Bahamenſis, pinnis foliorum mucronatis, anguſtis, calyce floris non reflexo.

Gulielmo Sloane Armig.
Soc. Reg. Lond. Sodali.

Van Huysum pinx.

E. Kirkall sculp.

CASSIA Bahamenſis pinnis foliorum mucronatis, anguſtis, calyce floris non reflexo.

CAULIS huic ad imum rotundus, circa ſummitatem vero ſulcatus, & quaſi anguloſus, viridis, tomento albicante obſitus. Foliis veſtitur pariter pinnatis, ex ſeptem aut octo pinnarum paribus compoſitis. Singulae autem Pinnae oblongae ſunt & anguſtae, ex baſi ſubrotunda in acumen definentes. Flores in Caulis ac Ramorum ſummitatibus conſpiciuntur multi, pentapetali, hermaphroditi. Apices quatuor, brevibus innixi Staminibus, mediam Floris partem juxta Ovarium occupant. Alia autem duo Staminibus longioribus inſident, inter quae Stylus ſe oſtendit, viridis, incurvus. Apices ſinguli cum Staminibus ſuis coloris ſunt pallide flavi. Petala habet quinque, aurea, quorum tria majora ſunt, alia duo minora, & quaſi concava. inter Petala majora & Stamina brevia, Foliola tria oriuntur, pallidi coloris ſe mutuo non contingentia. Inter Stamina longiora, juxta Stylum aliud oritur Foliolum, anguſtius multo, & haſtae in modum cuſpidatum. Calyx ex quinque foliis concavis, vireſcentibus componitur.

HANC Caſſiae ſpeciem ex Inſulis Bahamenſibus Anno 1726 attulit Catesbeius, & multis cum hortis communicavit: nullibi vero Flores protuliſſe accepi praeter in horto clariſſimi Wageri, & Chelſeiano. Semina verno tempore in pulvino calente ſerito; atque eodem cum Amaranthis more colito. Autumno floret. Per Hyemem haud facile conſervatur. Semina apud nos ad maturitatem nondum perduxit.

CASSIA Barbadenſis pinnis foliorum mucronatis, calyce floris non reflexo. Caſſia decaphylla, Orobi Pannonici foliis mucronatis Rand. Act. Philoſ. N°. 383. p. 93.

CAULEM habet rotundum, hirſutum. Folia pariter pinnata: pinnis ex lato in acutum ſenſim deſinentibus. Petala quinque flava. Stamina ſex, ejuſdem cum Petalis coloris: Apicibus, qui Staminibus duobus longioribus inſident, fuſcis. Foliola tria, juxta quatuor Stamina breviora conſpiciuntur anguſta & ſe mutuo non contingentia.

SEMINE ab Inſula Barbadoes miſſo Anno 1723 in Horto Chelſeiano proveniebat. Eodem anno Flores proferebat: & primo vere, Seminibus maturis, moriebatur. Hinc propagata, jam variis in hortis Curioſorum colitur. In pulvino calente ſerenda eſt, & eodem fere modo, quo Amaranthi coli ſolent, colenda. In Hybernaculo ſervari oportet: ſi tempeſtas mala fuerit. Vere primo ſata, eodem anno ſemen perficit.

Cassia Barbadensis, pinnis foliorum mucronatis, calyce floris non reflexo.

Collegio Sti Petri Acad. Cantabr &c.

E. Kirkall fe.

Cassia Marilandica pinnis foliorum oblongis, calyce floris reflexo.

Gulielmo Dickins LL.D. Juris civilis apud Cantabrigienses Professori Regio.

J. van Huysum pinx.

E. Kirkall fe.

HISTORIAE
PLANTARUM RARIORUM
CENTURIAE PRIMAE
DECAS TERTIA.

CASSIA Marilandica pinnis foliorum oblongis, calyce floris reflexo.

Ex Radice repente plures exurgunt Caules rotundi, pilis albicantibus rarioribus obsiti, ramosi. Caulem Ramosque alternatim, aut nullo ordine, vestiunt Folia pariter plerumque pinnata; ex novem circiter pinnarum oblongarum paribus composita. In eadem Planta unum alterumve Folium impariter pinnatum observare licet. Pars Caudae supina tuberculo insignitur. Ex alis Foliorum in Pediculis ramosis Flores proveniunt pentapetali. Petala quidem coloris sunt flavi, concava, duobus erectis, reliquis tribus dependentibus. Stylum habent incurvum, tomento albicante vestitum. Stamina conspiciuntur septem, ejusdem plane cum Petalis coloris; tria compressa; reliqua quatuor teretiuscula, multo breviora; mediam Floris partem occupantia. Stamina autem singula Apicem sustinent ex nigro fuscum. In Floris parte superiore, paulo infra Petala erecta, tria oriuntur Foliola, se mutuo contingentia, flavi coloris, marginibus versus partem superiorem crispis, ex flavo fuscis. Calyx in quinque segmenta reflexa scinditur. Planta ad quatuor pedum altitudinem assurgit.

Hanc Plantam Anno 1723 ex Marilandia accepit Petrus Collinson Civis Londinensis, Plantarum rariorum Cultor non incelebris: cujus in horto ab illo tempore Flores quotannis circa finem Augusti protulit. In Horto etiam Chelseiano ab illo accepta colitur. Plantis radicis propagatur. Solum amat calidum ac siccum. Atque inter omnes Cassiae species hactenus nobis cognitas, haec sola Hyemis saevitiem nullo tecto munita sustinet.

COTYLEDON Africana, fruteſcens; foliis aſperis, anguſtis, acuminatis; flore vireſcente. Ficoides Afra; fruteſcens; foliis aſperis, longis, anguſtis, acutis, cruciatim diſpoſitis Boer. Ind. 292.

A RADICE fibroſa Caudicem attollit ex rubro viridem, & per aetatem plerumque caſtaneum; Foliis veſtitum adverſis, ſeſſilibus, craſſis, ſucculentis, ex lata baſi in acutum mucronem deſinentibus. Tam Caudex quam Folia bullis albidis ubique ſunt aſpera. Flores in faſciculis diſponuntur, androgyni, Apicibus nempe quinque aureis, ſtaminibus totidem albis innixis, & Ovario in quinque ſiliquas abeunte compoſiti. Petalon ex albo vireſcens, longum, contractum, in quinque ſegmenta adeo profunde dividitur, ut de Flore, utrum monopetalus an pentapetalus haberi debeat, dubitandi locus relinquatur. Haec ommia Calyce quinquefolio ſunt munita.

SURCULIS haec planta ſeritur: qui ex caudicibus veteribus aeſtivo tempore ſunt deferendi, & loco ſicco per dies aliquot, ut ſuccus partis illius, qua praeciduntur, exareſcat, reponendi; aliter enim cito putres fierent. Deinde in vaſa fictilia terra levi & arenoſa repleta deplantato. Per quinque aut ſex dies umbra tegito. In pulvinum fimo calentem per tres ſeptimanas demittito, ut radices facilius mittant. Quibus factis coelo aperto ad Octobrem uſque exponito: Illo autem tempore in hybernaculum ſunt transferendi. Per brumale tempus parca manu rigato: coelo autem libero, quoties tempeſtates permiſerint, exponito: gelu enim tantummodo reformidant.

SINAPISTRUM

Cotyledon Africana, fruteſcens; foliis aſperis, angustis, acuminatis; flore viresſcente.

Petro St. Hill,
Chirurgo ad Noſocomium
St. Bartholomæi
Lock dictum.

E. Kirkall. Ft.

Sinapistrum Zeylanicum triphyllum & Pentaphyllum viscosum flore flavo Boer:

Joanni Gill
Pharmacop: de Chelsea.

E: Kirkall Fecit

SINAPISTRUM Zeylanicum, triphyllum & pentaphyllum, viſcoſum, flore flavo Boer.

HOC nomine a doctiſſimo Boerhavio acceptum in Horto Chelſeiano colitur. A Sinapiſtro autem Madraſpatano quinquefolio, luteo, minore Hort. ſicc. Pet. Raii Supp. App. 248. parum differre videtur. Ramuli enim ipſi unde Plantae ſuae nomen impoſuit, Petiverus, quos clariſſimi Sloanii beneficio ipſe conſpexi, noſtro, unde figura ac deſcriptio petuntur, adeo ſunt ſimiles, ut ſi hunc in horto Europaeano, illos vero in India ſponte naſcentes fuiſſe collectos animadvertes, ad eandem omnino ſpeciem illos referre vix dubitabis.

EX Radice autem fibroſa, Caulem attollit ramoſum, ſtriatum, pilis albicantibus aſperum, ex viridi rufeſcentem, Foliis veſtitum digitatis, tribus plerumque non raro tamen quinque lobis compoſitis, caudis ſemuncialibus appenſis. Ex alis foliorum ſe oſtendit Pediculus ſemuncialis aut minor, Florem ſuſtinens androgynum; Ovario nempe atque Apicibus numeroſis, Staminibus ſuis innixis compoſitum. Has partes veſtiunt quatuor Petala flava, & Calyx quadrifolius. Floribus ſingulis ſingulae ſuccedunt ſiliquae biunciales, teretes, ſtriatae, hirſutae, unicapſulares, bivalves, a ſummitate ad imum ſe aperientes, & Semina fundentes ruffa, parva, & quaſi cochleata. Tota Planta hirſuta eſt & viſcida.

PLANTA eſt annua, & ſeminibus ad maturitatem perductis exareſcit. Semina Menſe Februario in pulvino calenti recte ſeruntur: & cum duas uncias altae fuerint plantae in alium pulvinum transferuntur, quatuor unciarum ſpatio diſtantes. Eas autem aeri libero exponere oportet quoties coeli tepor permiſerit. Circa ultimam Maii partem radices cum terrae aliqua parte in locum apricum transferri debent; ubi flores oſtendent & ſemina perficient.

PLANTAE hujus & Bidentis, quae proxime ſequitur, picturam amico jucundiſſimo Gulielmo Houſtoun acceptum refero.

BIDENS

BIDENS Caroliniana, florum radiis latiſſimis, inſigniter dentatis; ſemine alato, per maturitatem convoluto Rand Act. Philoſ. N. 399. p. 294.

A RADICE reſtibili, Caulis exurgit ſtriatus, medulla farctus; foliis veſtitus adverſis, ſeſſilibus, craſſis, in acumen deſinentibus, integris plerumque, interdum autem, ſed raro, inciſura una aut altera notatis. Rami ſinguli aut nudi ſunt, aut una duntaxat foliorum conjugatione ad partem inferiorem ornati; unico Flore terminati, diſcoide, radiato. Placentae nempe glumoſae Floſculi innituntur in quinque ſegmenta flava expanſi; Stylo bifido, reflexo ornati. His circum funduntur Semifloſculi ejuſdem prorſus coloris, quorum ſinguli Ovario abortienti inſident. Floſculis autem ſingulis ſemina ſuccedunt ſingula, bicornia. Calyx ex duplici foliorum ordine componitur; exteriore a Flore extante.

SEMINA a Catesbeio accepta anno 1724 multis in hortis prope Londinum ſunt ſata. Planta plerumque biennis eſt: atque in pulvino ſimo modice calenti Martio ineunte ſata, Aprili menſe ſe attollit: eoque tempore in vaſa fictilia transferri poteſt. Coelo autem aperto illam exponito, ut frigora hyberna melius ferat: utcunque enim eam maturaveris, Flores primo anno vix obtinebis. Anno poſt ſationem proximo, Maio & Junio menſibus, flores in lucem prodeunt: ſemina autem Auguſto perficiuntur. Hyemes noſtras, ſi terra tepida ſit & ſicca, ſuſtinere ſolet, ſin minus, in vaſa fictilia transferto, atque a frigorum ſaevitie defendito.

NARCISSUS

Bidens Caroliniana; florum radiis latissimis, insigniter dentatis; semine alato, per maturitatem convoluto Rand.

Conrado Sprengell Eq. aurat. Medico Lond. & Soc. Reg. Sodali

Narcissus totus albus latifolius polyanthos Major odoratus, staminibus sex e tubi ampli margine extantibus Sloane.

Rev: Zach: Grey LL.D. *Rectori de Houghton Conquest Com: Bedford.*

J. Van Huysum pinx.

E. Kirkall Fecit Fecit

NARCISSUS totus albus latifolius polyanthos major odoratus ſtaminibus ſex e tubi ampli margine extantibus Sloane Cat. Jam. 115. Hiſt. Jam. I. 244. Narciſſus Americanus, flore albo, multiplici, odore Balſami Peruviani Tourn. Inſt. 358.

EX Radice tunicata prodeunt Folia dodrantalia aut pedalia, hilari virore nitentia, integra, in acumen deſinentia, tres uncias in media parte lata. Horum in medio Caulis exurgit ſeſquipedalis, compreſſus, ſtriatus, biangularis, viridis, polline caeſio obductus, Perianthio membranaceo albicante terminatus; quo aperto ſeſe oſtendunt Flores novem aut decem, androgyni, monopetali. Ovarium namque triangulare pediculis ſingulis inſidet, umbilicatum, ſtylo longo fibula viridi clauſo coronatum; & Petalo etiam ad trium unciarum longitudinem tubuloſo, vireſcente; deinde in ſex ſegmenta, alba, triuncialia, vix quartam unciae partem lata expanſo: ab hac uſque petali diviſione pergit tubus, albi prorſus coloris, infundibuli in modum expanſus; margine in ſex Stamina abeunte, primo alba, deinde viridia; Apice aureo clauſa. Flos odorem jucundum ſpirat.

IN pratis & ſylvis campeſtribus Jamaicae, S. Chriſtophori, & Caribbearum Inſularum ubique invenit clariſſimus Sloanius: qui in loco natali, Folia duos pedes longa, Caulem quatuor pedes altum fuiſſe ſcribit.

PLANTIS radicis Aprili menſe, prius quam ſe oſtendant folia, optime ſeritur. Vivirадices autem in vaſa fictilia terrae levis atque arenoſae, cum ruderis ex calce parte aliqua, plena transferto: deinde in pulvinum cortice coriario ſtercoratum, ut facilius radices capiant, demittito. Cum folia emiſerunt, aerem liberum ferre paulatim plantas aſſueſcito, cui a menſe Julio ad Septembris uſque initium ſunt exponendae: quo tempore in hybernaculum igne modice calentem ſunt transferendae, atque in eo per brumalia tempora ſervandae. Foliis hujus plantae adhuc vivis & creſcentibus, vaſa, quibus continentur, aqua ſaepius ſunt riganda: poſtquam vero illa exaruerint, rigatio frequens radicibus erit inimica.

AB Inſula Barbados anno 1730 accepta in Horto Chelſeiano planta noſtra florebat.

NON modo, inquit Scriptor ſupra laudatus, ornamenti, ſed utilitatis etiam gratia in hortis colitur. Radices enim ab Inſularum earum incolis, Lilii albi loco, in cataplaſmatis maturantibus uſurpantur.

GERANIUM Africanum, arboreſcens, Ibiſci folio, anguloſo, floribus amplis, purpureis Rand Act. Philoſ. N. 388. p. 307.

CAUDICEM habet viridem: Folia caudis variae longitudinis innixa, nullo ordine poſita, ſinuata ſeu potius anguloſa, ſerrata, craſſa, utrinque villoſa, ſubrotunda. Rami in Umbellas ſimplices deſinunt Perianthiis multifoliis munitas. Flos Ovario conſtat polyſpermo, quinque nempe ut plurimum Seminibus in orbem circa axem medium poſitis, qui in Stylum deſinit ſuaverubentem, quinquefidum: & Apicibus flavis, Staminibus latis, ſuaverubentibus innixis. Flores autem ſinguli Petalis donantur quinis, duobus quidem ſuperioribus latioribus, & macula ſaturatiore inſignitis: inferioribus tribus anguſtioribus & puris.

VEL ſeminibus vel ſurculis feritur: ſurculis autem potius utendum eſt, quod ſemina tardius creſcant. Surculi autem quovis tempore a Junio menſe ad Septembrem uſque ſunt deplantandi. Eſt tamen videndum ut in leve ac pingue ſolum transferantur, aqua rigentur, atque umbra tegantur. Septembri menſe in vaſa fictilia terra levi repleta eos differto, videndo interea ut terrae aliquid radicibus adhaereſcat, & umbra tegito, donec radices adoleverint; quo facto ad medium uſque Octobrem aeri libero exponi poſſunt. Hoc autem tempore in hybernaculum ſunt transferendi & per brumale tempus eodem modo, quo Myrtus, Nerion aliaeque plantae exoticae, quae minus tenerae haberi ſolent, colendi.

ABUTILON

Geranium Africanum, arborescens, Ibisci folio, angulosо, floribus amplis, purpureis Rand.

Collegio Emanuel Cantabrigiae

Van Hÿsum pinx

E: Kirkall Fecit

Abutilon Americanum, fructu subrotundo, pendulo, e capsulis vesicariis, crispis conflato Rand.

Richardo Banner
de Perry Hall
in Staffordiae comitatu
Armigero.

Van Huysum pinx.

E: Kirkall fecit

ABUTILON Americanum, fructu ſubrotundo, pendulo, e capſulis veſicariis criſpis conflato Rand Act. Philoſ. N. 399. p. 293.

EX Radice fibroſa, annua, Caulis oritur ramoſus, ex viridi rubeſcens, villoſus; Foliis veſtitus alternis, ex baſi ſubrotunda, bifida, in acutum mucronem deſinentibus, crenatis, caudis, ſeſcuncialibus appenſis, villoſis. Quae autem ramos ultimos cingunt, multo minora ſunt, & fere ſeſſilia. Ex ſingulis foliorum alis prodit Pediculus biuncialis, Florem gerens androgynum, Petalo conſtantem unico, flavo, cujus ima pars in tubum aſſurgit, mediam Floris partem occupantem, atque Apicibus flavis onuſtum. Ab Ovario aſſurgit Stylus flavus, multifidus, cujus diviſurae ſingulae Fibula clauduntur. Haec omnia veſtit Calyx quinquefidus. Ovarium autem fit Fructus ſubrotundus, in ſumma atque ima parte compreſſus, polygonus; angulis ſingulis per longitudinem in totidem Capſulas ſe aperientibus, & Semina reniformia effundentibus.

SEMINA hujus plantae in pulvino modice calente primo vere ſerito. Cum exierint plantae, eas differto, & ſingulas in vas fictile terra levi & arenoſa repletum ponito: idque in ſimum deponito, quo plantae citius adoleſcant. Aqua illas irrigato atque umbra tegito, donec radices ſatis adoleverint: quo facto eas coelum apertum ferre paulatim aſſueſcito: cui Julio Menſe ſunt exponendae: cave autem ut a ventorum injuriis defendantur. Circa ultimam hujus menſis partem Flores ſe oſtendent, & Semina menſe Septembri fient matura. Per brumale tempus hybernaculi igne calentis ope ſervari poſſunt; quod tamen vix operae eſt pretium, cum omnem fere pulchritudinem, ſeminibus ad maturitatem perductis, amittant.

FICOIDES

FICOIDES Afra, folio triangulari, enſiformi, craſſo, brevi, ad margines laterales multis majoribuſque, ſpinis aculeato, flore aureo, ex calyce longiſſimo Boer. Ind. 290.

FOLIA huic triangularia, angulo, qui in dorſo habetur, valde obtuſo, & interdum obſcuro, ita ut ille nullus fere videatur, glauca, maculis parvis, albis, praeſertim in averſa parte conſperſa; ſpinis magnis triangularibus ad margines obſita. Inter folia Flos oritur Ovario & Apicibus numeroſis flavis, Staminibus ſuis innixis compoſitus, cum Petalis numeroſis, flavis rubedine quadam in parte exteriore donatis, & Calyce longo, quinquefido.

SURCULIS haec planta ſeritur: qui aeſtivis menſibus ſunt deplantandi. Eos autem loco ſicco per dies ſeptem aut decem, ut vulneri cicatrix obducatur, ponito. Deinde in vaſa fictilia parva, terrae levis atque arenoſae plena deferto, & umbra per hebdomadis unius ſpatium tegito. Poſtea vero in pulvinum modice calidum, ut radices facilius capiant, vaſa demittito: quo facto aeri libero ad Octobrem uſque Plantae ſunt exponendae. Illo autem tempore in hybernaculum ſunt transferendae: videto tamen ut aere libero, quoties coelum permiſerit, fruantur: humorem enim nimium & gelu tantum reformidant. Aqua tamen per brumale tempus, ſed raro & parca manu ſunt rigandae.

AMANITA

Ficoides Afra, folio triangulari, ensiformi, crasso, brevi, ad margines laterales multis majoribusqp spinis aculeato; flore aureo, ex calyce longissimo Boer.

Joanni Harris,
Chirurgo & Pharmacopoeo
Londinensi

J: Van Huysum pinx.

E: Kirkall fecit.

Amanita fasciculosa, pileo Aurantii coloris, viscido, lamellis albis, caule longo, villoso, purpureo.

Amanita fasciculosa pileo orbiculari luteſcente caule purpureo.

Amanita minor rufeſcens, pileo conico, lamellis paucis donato.

Amanita pileo viſcoſo, caeruleſcente.

Amanita pileo aurantii coloris lamellis & caule lividis.

Amanita orbicularis, pileo & lamellis fuſcis Dillen.

Amanita major, ex livido albicans ubiq; pediculo longo Dillen.

Amanita pileo viſcoſo, luteo.

Amanita pileo ex livido fuſco, lamellis magis albicantibus Dillen.

Georgio Clifford Amſtaelodamenſi I. U. D.

Amanita minor, pileo orbiculari, luteſcente, viſcido, lamellis paucis fulvis.

Amanita parva, galericulata rufa Dillen.

Maſsey M.D. Pinx

E. Kirkall Fecit

AMANITA fasciculosa, pileo Aurantii coloris, viscido, lamellis albis, caule longo, villoso, purpureo. Fungus fasciculosus, pileo orbiculari, lutescente, pediculo fusco, tenerrime villoso, lamellis ex flavo candicantibus Dillen. Syn. p. 9.

In ericeto Hamstediano, mense Decembri Anno 1723 inventam cum doctissimo Dillenio communicavi. Erat autem illo tempore pene arida: unde descriptio, quae in Synopsi habetur, cum planta vegeta minus convenit. Caulem habet quatuor circiter digitos longum, coloris obsolete purpurei, villo tenerrimo obductum. Pileus colore aurantio ornatur, & visco quodam obducitur. Lamellae albicant, interdum tamen fusco aut lutescente colore tinguntur. Variis in locis sub hyemis initium nasci; & hyberna frigora perferre solet: ita ut hanc solam in media glacie vix laesam saepius videamus.

AMANITA fasciculosa pileo orbiculari, lutescente, caule purpureo. Fungus fasciculosus, pileo orbiculari, lutescente, pediculo purpureo Dillen. Syn. p. 10.

Pileus (describente Dillenio) ab unciali ad biuncialem latitudinem extensus, superne coloris est fusci, inferne ex fusco pallidi, pediculi vero purpureo donantur colore. E ligno putrescente nascentem observavit D. Dandridge. ibid.

AMANITA minor, rufescens, pileo conico, lamellis paucis donato. Fungus minimus, capitulo conico, rufescens, lamellis subtus paucis Raii Syn. Ed. 2. p. 13. Ed. 3. p. 9.

In aedium tectis, inquit Raius, inter muscos inveni. Parvitate sua & lamellarum raritate ab aliis distinguitur. Huic similem si non eandem in locis palustribus observavi. ibid.

AMANITA pileo viscoso, caerulescente. Fungus medius, pileo muco aeruginei coloris obducto Dood. Syn. Ed. 2. p. 335. Ed. 3. p. 6.

In horto Societatis Pharmaceuticae Londinensis & in Arboreto Regio S. Jacobi invenit Doodeius: nos etiam in ambulacro prope Camberwell, quod vineam Incolae vocant, Octobri mense observavimus.

AMANITA pileo aurantii coloris, lamellis & caule lividis. Dubitari potest an haec eadem sit cum Fungo Aurantii coloris, capitulo in conum abeunte Tourn. Inst. 559. Tab. 327. de colore quidem lamellarum & caulis nihil prorsus locutus est scriptor ille celeberrimus. Nostram in Agro Cantabrigiensi, prope Fulborn inveni.

AMANITA orbicularis, pileo & lamellis fuscis Dillen. Cat. Giss. p. 184.

Prope Gissam in Piceto & Sylva Lindana Septembri mense invenit Dillenius: nos autem prope Dulwich Octobri mense invenimus. Hujus picturam Josepho Miller Pharmacopoeo, amico & vicino nostro, viro in Plantarum cognitione versatissimo, acceptam refero: reliquarum autem omnium, quae in hac tabula continentur, picturas, excepta praecedente, ab amico doctissimo Richardo Middleton Massey Medicinae Doctore accepi.

AMANITA major, ex livido albicans ubique pediculo longo Dillen. Cat. Giss. 183.

In sylva Lindana Dillenius, nos prope Dulwich Octobri mense invenimus.

AMANITA pileo viscoso, luteo. Fungi pratenses minores, externe viscidi, albi & lutei, pediculis brevibus Raii Syn. Ed. 2. p. 13. Ed. 3. p. 7.

In pascuis Autumno ubique fere inveniuntur.

AMANITA minor, pileo orbiculari, lutescente, viscido, lamellis paucis, fulvis. Fungus pratensis minor, externe viscidus, capitulo decimi tertii, striis subtus fulvis seu croceis Dale Syn. Ed. 2. Fascic. Ed. 3. p. 8.

AMANITA parva, galericulata, rufa Dillen. Cat. Giss. p. 181. Fungus parvus, parvi galeri formam exprimens, rufus C. B. Pin. 373. Syn. Ed. 3. p. 7. an Fungus vaccinus Steerb. p. 210?

Pileum habet, recte observante Dillenio, semper demissum, nunquam expansum, rubrum, lamellas autem flavas. In ericetis circa Highgate Octobri & Novembri mensibus Dillenius, nos autem prope Dulwich eodem tempore invenimus.

AMANITA pileo ex livido fusco, lamellis magis albicantibus Dillen. Cat. Giss. p. 183.

In sylva Gissensi Septembri Dillenius, nos prope Dulwich Octobri mense invenimus.

ALGA minor, caulifera, foliis parvis, oblongis, ex viridi rufescentibus.
Caulem habet ramosam, nigricantem, foliis vestitum numerosis, ad Polygoni formam accedentibus.

ALGA minor, flavescens, varie divisa.
Substantiae est coriaciae; & maculis seu potius bullis nigris aspera.

ALGA minor, suaverubens, varie divisa.
Tenera est & pellucida, in multa segmenta obtusa divisa.

ALGA minor, viridis, tenuissime divisa, segmentis bifidis.
In minutissima segmenta varie dividitur, quorum extremitates bifidae sunt, & capsulas Bursae pastoris non male referunt. Has omnes viro in plantis exquirendis diligentissimo Samueli Brewer, qui eas in insula Mona collectas mecum communicavit, acceptas refero.

ALGA minor ex viridi rufescens, segmentis bifidis, acutis. Fucus purpureus, tenuiter divisus, non geniculatus D. Stevens H. Ox. p. 646. Fucus dichotomus, parvus, costatus & membranaceus Budd. H. S. Vol. I. fol. 12. Syn. Ed. 3. p. 44.
Tenera est & pellucida, nervo saturatius rubro per medium decurrente. In littore Cornubiae invenitur: in Mona etiam collectam Breweri beneficio accepi.

ALGA minor, ex viridi rufescens, varie divisa. Fucus sive Alga membranacea purpurea, parva Raii Syn. Ed. 2. p. 3. Fucus membranaceus, ceranoides, varie dissectus Syn. Ed. 3. p. 44.
Altitudine, inquit Raius, est palmari: folis planis, tenuibus, & membranaceis, ramosis. Per siccitatem purpureo colore tingitur, estque pellucida pergameni fere instar. In littoribus frequens invenitur: multae hujus varietates, pergit vir doctissimus, observantur, latitudine, figura, colore & divisura foliorum ludentes. Vidimus viridem, foliis latis, in plurima segmenta, angusta, acuta divisis & veluti crispis: vidimus albicantem, teneram, minorem, obtusioribus segmentis.
Has omnes varietates in littore insulae Shepey vidimus.

Alga minor, flavescens, varie divisa.

Alga minor, viridis, tenuissime divisa, segmentis bifidis.



Alga minor, ex viridi rufescens, varie divisa.



Alga minor, caulifera, foliis parvis, oblongis, ex viridi rufescentibus.



Alga minor, suaverubens, varie divisa, segmentis obtusis.

Alga minor, ex viridi rufescens, segmentis bifidis, acutis.

Joanni Frederico Gronovio M.D. Lugd. Bat.

E. Kirkall fecit.

Abutilon Americanum; Flore albido; Fructu e capsulis reficariis planis conflato; Pediculo geniculato.

Collegio Trinitatis
Cantabrigiae

E. Kirkall fecit.

HISTORIAE
PLANTARUM RARIORUM
CENTURIAE PRIMAE
DECAS QUARTA.

ABUTILON Americanum; Flore albido; Fructu e capsulis vesicariis, planis, conflato; Pediculo geniculato.

Ex Radice fibrosa, annua, Caules attollit ex viridi rubescentes, villosos, ramosos, Foliis vestitos alternis, ex basi subrotunda, bifida, in acutum mucronem desinentibus, crenatis, caudis sescuncialibus appensis, villosis. Illa autem quae ramos ultimos vestiunt, multo minora sunt, & tantum non sessilia. Ex singulis foliorum alis prodit Pediculus, sescuncialis, paulo infra florem geniculatus, Florem gerens androgynum, Petalo constantem unico, candido, cujus pars ima in tubum assurgit, mediam floris partem occupantem, atque Apicibus flavis onustum. Ab Ovario oritur Stylus flavus, multifidus, cujus divisurae singulae Fibula clauduntur. Calyx in quinque segmenta dividitur. Flore delapso, Ovarium in Fructum grandescit, in summa atque ima parte compressum, polygonum; angulis singulis, per longitudinem, in totidem capsulas se aperientibus, & semina reniformia effundentibus.

Hanc plantam prope veram Crucem inventam amicissimo Houstono, qui in Plantis exquirendis diligentia, inveniendis felicitate, alios omnis superavit, debemus. Eodem plane modo colitur, quo Abutilon in Decade tertia descriptum.

ABUTILON Carolinianum, reptans, Alceae foliis, gilvo flore Rand Act. Philoſ. No. 383. p. 93.

CAULIS per terram repit, Radices fibroſas ex geniculis ſingulis demittens. Folia profert ſingularia, Groſſulariae in modum profunde diviſa, marginibus diviſurarum profunde crenatis, caudis longis cauli annexa: primo autem tantummodo profunde crenata. Flores ex foliorum alis in pediculis uncialibus proveniunt, androgyni, Apicibus nempe flavis, & Ovario, cui Stylus multifidus, rubens imponitur, conſtantes. Petalon in tubam, ut in Malva, media parte aſſurgit. Calyce munitur duplici, exteriore trifido, interiore quinquefido. Fructum habet parvum, multangulum, angulis ſingulis per longitudinem ſe aperientibus, & ſemen unum aut alterum, exiguum, reniforme effundentibus.

MINUS recte ad Abutili genus, me judice refertur, a quo Calyce duplici omnino differt; ſicut a Malva Fructu vaſculari. Novi proinde Generis eſſe mihi videtur, ſuo nomine deſcribendi. Siquis Alceae nomen illi imponere voluerit, per me licebit; cum Alcea vulgaris vera & genuina Malvae ſit ſpecies. Alcea igitur noſtra Flore Malvae, Fructu Abutili ab aliis omnibus Plantis erit diſtinguenda. Haec autem Species ALCEA *Americana repens*; *Foliis profunde diviſis*; *Petalo rubente* nominari poteſt.

SEMINA Anno 1724 a Catesbeio accepta in Horto Chelſeyano proveniebant. Martio menſe in terra levi, locis apricis ſeruntur: ubi tamen ipſae Plantae Hyemes noſtras raro admodum ſuperant. Semina ad maturitatem quotannis perducunt; quae proximo vere, nullo cogente, ſi ſolum immotum fuerit, provenire ſolent.

LINARIA

Abutilon Carolinianum, reptans, Alceae foliis, gilvo flore Rand.

Thomæ Tobber Armigero.

R. Sartorius pinx.

E. Kirkall fe.

Linaria caerulea foliis brevioribus & angustioribus Raij.

Linaria Hispanica, procumbens, foliis uncialibus, glaucis; flore flavescente pulchre striato labijs nigro purpureis Rand.



Alexandro Stewart M. D.
Soc. Reg. & Coll. Med. Lond.
Sodali.

I. Van Huysum pinx.

E. Kirkall fe.

LINARIA Hiſpanica, procumbens; foliis uncialibus, glaucis; flore flaveſcente, pulchre ſtriato, labiis nigro-purpureis Rand Act. Philoſ. N. 412. p. 221.

CAULIS huic plantae ramoſus, coloris glauci; Foliis veſtitus glaucis, craſſis, ſeſſilibus, ex baſi anguſta in latitudinem productis, & in mucronem obtuſam deſinentibus. Flores pediculis breviſſimis inſident, foliolo villoſo ad ſingulorum ortum appoſito. Petalon eſt labiatum, caudatum, pallide flavum, lineis purpureis varium; galea in ſegmenta duo obtuſa finditur, anteriori quidem parte purpurea, in averſa autem flaveſcens; barba multis crenis notatur, holoſericea, & coloris obſolete purpurei.

HANC plantam ex Calpe Hiſpaniae monte anno 1727 ad hortum ſuum attulit clariſſimus Wagerus, Eques auratus & claſſis Britannicae praefectus; unde & alii non pauci, illuſtris viri beneficio, eam acceperunt. Surculis verno aut aeſtivo tempore facillime ſeritur: eos in terram levem deplantando. Videndum tamen eſt ut a Solis injuriis defendantur & ſubinde aqua rigentur. Poſtquam radices miſerint, in vaſa fictilia terrae ſiccae, arenoſae, macrae plena transferto, & per brumale tempus a pruinis defendito. Aeri autem libero, quoties coelum permiſerit, exponito. Semina nondum in Anglia maturavit, unde ſurculis tantummodo ſeri poteſt.

LINARIA caerulea foliis brevioribus & anguſtioribus Raii Syn. Ed. 2. p. 160. Ed. 3. p. * 282. Act. Philoſ. N. 407. p. 2.

EX Radice repente Caules exurgunt, ab imo ramoſiſſimi; Foliis veſtiti alterno aut nullo ordine poſitis, numeroſis, craſſis, anguſtis, glaucis. Flores gerit in thyrſum diſpoſitos, monopetalos, labiatos, caudatos; labio bifido, pallide caeruleo, ſtriis ſaturatioribus notato; barba tripartita, albida, macula flava in ipſa floris gula diſtincta. Vaſcula ſuccedunt bicapſularia, dentatim per maturitatem in ſummitate ſe aperientia; & Semina parva, nigra effundentia.

HANC plantam in agro Hertfordienſi ab Ealeſio Medico celebri atque erudito inventam fuiſſe ſcribit Raius. Eandem etiam ab aliis, in colle quodam Marvell hill dicto prope Henleiam Bercheriae oppidum, & in muris templi ejuſdem oppidi, & juxta viam quae inde Londinum ducit, inventam fuiſſe ſcribit Dillenius. In colle memorato, ſolo quidem macro & lapidoſo eam & ipſe etiam collegi, quin & in muris coemeterii juxta viam publicam, poſtquam in templi muris fruſtra diu quaeſiveram tandem inveni. Huic etiam eandem eſſe exiſtimo, quam in ruinis villae Wimbletonenſis, ab illuſtri Ceciliorum gente, in illius anni memoriam, quo claſſis Hiſpanica hoſtiliter ſed fruſtra tentavit Angliam, olim extructae, ſaepius obſervavi: utcunque folia illius non minus lata quam in Linaria vulgari lutea conſpiciuntur; & ſaepe etiam radiatim diſponuntur: unde a Linaria minore, repente, inodora, flore albo, foliis radiatis Vaill. Bot. Par. p. 118. differre non videtur.

SEMINA ſolo ſicco vere ſerito: cum vero enata fuerint in terram macram vel potius in vaſa fictilia hujuſmodi terra repleta transferto, nam niſi munimento aliquo prohibita fuerint, per totum fere hortum vagantur.

GRANADILLA

GRANADILLA Americana; folio oblongo, leviter ferrato: petalis ex viridi rubescentibus.

Hujus ex Radice Caules assurgunt scandentes, rotundi, virides, tenerrime villosi: Foliis vestiti alternis, simplicibus, per margines leviter serratis. Ex singulis foliorum alis prodit Clavicula; unaque Pediculus Florem sustinens. Paulo autem infra Florem intumescit Pediculus, ubi tribus ornatur Foliis. Calyx in quinque segmenta profunde dividitur, & Petala tegit quinque, levi rubedine tincta. His insident ordines duo fimbriarum, unciam unam longarum, curvarum, ad exortum luteo virescentium, in medio purpurearum, ad extremitatem vero caerulearum. Has supra eriguntur aliae, multo breviores, ex rubro & albo variae. In medio assurgit Columella, Stamina quinque viridia, compressa sustinens, quorum singula Apice ornantur inferne flavo, superne albido. Inter Stamina oritur Ovarium, formae ovalis, viride, Stylo triplici pallido, in extremitatibus ex viridi flavescente ornatum.

SEMINA Maio mense anni 1731, ab amicissimo Houstono accepta, in Horto Chelseyano fuerunt sata, Augusto autem Flores primo se ostendebant.

SEMINA Martio mense in pulvino stercore calenti serito. Cum Plantae quatuor unciarum altitudinem assecutae fuerint, in vasa fictilia, terra levi, pingui repleta eas transferto. Vasa autem ipsa in pulvinum cortice stercoratum demittito, curando interea ut aqua rigentur Plantae, atque a sole defendantur, donec radices egerint: quo facto, tam aqua quam coelo liberiori, pro tempestatis ratione fruantur. Cum vero ad tectum usque pulvini sese attulerint, in Hybernaculum cum vasibus suis transferantur, ubi Flores copiose proferent, ac per hyemem levi igne servari possunt.

Granadilla Americana; folio oblongo, leviter serrato: petalis ex viridi rubescentibus.

Nobilissimo
Roberto Jacobo
Domini Petre
Baroni
de
Writtle

Van Hysum Pinx.

E. Kirkall fecit.

Granadilla Americana, Fructu subrotundo; corolla Floris erecta, petalis amoene fulvis: Foliis integris.

Johanni Henrico Linck Acad. Caesar Leopoldinae Carolinae, Nat. Curios. Collegae, Soc. Reg. Lond. Sodali; & Pharmacopolae Lipsiensi.

I. Van Huysum pinx.

E. Kirkall fe.

GRANADILLA Americana; Fructu ſubrotundo; corolla Floris erecta, petalis amoene fulvis: Foliis integris.

CAULE aſſurgit ſcandente, & capreolis ſuis vicinas ſtirpes arripiente; Foliis ornato oblongis, per margines integris. Flores in pediculis haerent uncialibus, in medio geniculatis. Sunt autem androgyni, Petalis quinque ornati, ſuaverubentibus; & Calyce quinquefido, interne ejuſdem cum petalis coloris, externe autem viridi, ad margines tamen ſuaverubente. Corollam habent ſimplicem, ex fimbriis rigidis, erectis, ad imum nigris, in ſuperiori parte aureis compoſitam. In medio aſſurgit Columella, purpuraſcens, Stamina quinque, Apices virides ſuſtinentia, gerens; quorum medio inſidet Ovarium, Stylo triplici rubeſcente ornatum. Spatium inter corollam & columellam liquore melleo repletur. Fructum habet ſubrotundum.

SEMINA hujus Plantae anno 1724 ab Inſulis Bahamenſibus a Catesbeio adducta ſunt. Eodem fere modo, quo Granadilla mox deſcripta, colitur: majori autem calore opus eſt, ut per hyemem ſervetur. Utraque praeterea ſurculos vere deplantando propagantur; trium menſium ſpatio radices demiſſuri, quo tempore in vaſa fictilia terra pingui repleta ſunt deplantandi, & eodem plane modo colendi, quo plantae quae a ſeminibus ſunt orti.

RICINOIDES paluſtre, foliis oblongis ſerratis; fructu hiſpido Houſtoun.

CAULIS huic viridis, pilis albicantibus hirſutus, ſtriatus, concavus, foliis veſtitus oblongis, ſerratis, quatuor uncias longis, tres uncias latis, nervis donatis conſpicuis, a coſta media ad latera tendentibus, & in ſerris foliorum ſingulis deſinentibus. Ex alis foliorum prodeunt Pediculi, Flores maſculinos longa ſerie geſtantes, exiguos pentapetalos, candidos; infra quos conſpiciuntur foeminini, quibus ſuccedunt Fructus hiſpidi.

SEMINA hujus Plantae prope Veram Crucem inventae, anno 1731 ad Hortum Chelſeyanum miſit amiciſſimus Houſtonus. Mirum autem quantum Plantae in Horto cultae a ſylveſtribus magnitudine & forma differunt. Tabula igitur noſtra plantae hujuſce figuram continet, tam in paludibus Americanis, quam in Horto Chelſeyano creſcentis. Quin & deſcriptionem ipſius ornatiſſimi Inventoris hoc loco liceat adjicere.

RADIX fibroſa, Caules teretes, fungoſi, glabri, nunc humi procumbentes, nunc erecti. Folia oblonga, ſerrata, utrinque glabra, duas uncias plerumque longa, raro unam lata, pediculis ſemiuncialibus inſiſtentia. Ex horum alis, verſus ſummitates caulium oriuntur ſpicae biunciales, quarum ſuperiorem partem occupant flores maſculini, albi, pentapetali; inferius vero naſcuntur foeminini, quibus ſuccedunt fructus Piſi magnitudine, verrucis ſeu ſpinulis mollibus exaſperati. Locis humidis provenit, & foliorum magnitudine ac figura multum variat.

SEMINA pulvino ſtercorato ſerantur. Plantae autem in vaſa fictilia transferantur, terra arenoſa repleta, atque in pulvinum cortice ſtercoratum demittantur. Si coelum permiſerit aere liberiori fruantur.

MARANTA

Ricinoides palustre foliis oblongis serratis, fructu hispido Houstoun.

Gulielmo Sartorys Pinx.

Gulielmo Beeston
M.D.

E. Kirkall fecit.

Maranta arundinacæ, Cannacori folio Plum.

Jacobo Monroe M.D.
Col. Med. Lond. Soc.

I. Van Huysum pinx.

E. Kirkall fe.

MARANTA arundinacea, Cannacori folio Plum. Nov. Gen. p. 16.

EX Radice tuberosa Caulis exurgit ramosus, aliquantulum compressus, viridis. Folia habet, Caulem longa vagina primo amplexantia, deinde in unciarum duarum latitudinem expansa, & in mucronem tandem desinentia, integra, nervo per medium decurrente, unde alii oriuntur, simplices, versus extremitatem Folii tendentes. Ramorum extremitates Floribus ornantur albis, androgynis, umbilicatis, monopetalis, Petalo in plura segmenta variae formae & structurae diviso, tenerrimo, & in mucorem quam citissime abeunte. Calyx in tria segmenta ad imum usque dividitur.

PROPE Veram Crucem ab Houstono inventa ad Hortum Chelseyanum missa est.

HUIC persimilis esse videtur; atque eadem forsan judicanda Planta, quam in Historia sua *Cannae Indicae* nomine, *radice alexipharmaca* descripsit clarissimus Sloanius. Illa enim in Horto Chelseyano florens se ad Marantae genus pertinere confirmavit. Flores autem minores & pauciores, quam in Houstoni planta, conspiciuntur. Si vero, ut judicare quidem fas est, hae Plantae inter se specie non differant; Synonyma sequentia illi omnino sunt tribuenda: Radix contra venenatas sagittas C. B. Pin. 14. Turara ibid. 184. Uppee Pis. Mantiss. aromat. 171. Canna Indica radice alexipharmaca. *Indian arrow root* Sloane Cat. Jam. 122. Hist. I. 253. II. 380. Canna Indica angustifolia, pediculis longis, ad imum folium, nodo singulari, geniculatis. *Arrow root* & *Dart herb* nostratibus dicta Pluk. Alm. 79. Canna Indica &c. Slon. Raii Supp. 573. Toulola; Herbe aux fleches Labat I. 477. Illa vero quae florem rubri coloris depingunt, sunt amovenda. Flores enim, cum Historiam suam scripsit, nondum viderat Sloanius.

RADICEM, describente Sloanio, obtinet dimidium unciae longam, albam, conicam, in plures partes unciales, rufescentes divisam.

IN hortis Jamaicae & Insularum Caribbearum ex Insula Dominica translatam idem observavit.

OB insignem vim alexipharmacam magni apud Indos aestimatur. Radicis contusae infusum ad vulnera venenatis sagittis inflicta curanda propinant. Eandem etiam contusam cataplasmatis modo ipsi vulneri applicant. Hoc autem quam primum faciendum est; mora enim vel minima est periculosa. Eadem ad Mancanillae venenum certissimum est remedium: quod & ipse in Horto suo expertus est nobilissimus Petreus.

PLANTIS Radicis seritur, quae numerosae admodum fiunt, si modo Plantae loco tepido serventur, & frequenter irrigentur. Vasis fictilibus, terra levi, arenosa repletis, in pulvinum cortice stercoratum demissis, serito. Mense Augusto vel Septembri transferto & radices divellito. Tempore brumali, Hybernaculi calorem ad decimum usque gradum supra eum quem temperatum vocant, evehito.

GRONOVIA ſcandens, lappacea, pampinea fronde Houſtoun.

CAULIS huic volubilis, viridis, ſpinulis hamatis, nonnihil urentibus obſitus; Foliis veſtitus alternis, in ſegmenta acuta, Vitis aut Bryoniae fere in modum profunde diviſis, ſpinulis, ſeu potius pilis hamatis aſperis. Flores gerit in faſciculis, ex alis foliorum egreſſis, androgynos, umbilicatos: Ovario namque pentagono, monoſpermo, pilis albis inter angulos villoſo, Stylus inſidet ſimplex, albus, fibula flava clauſus; hunc ambiunt Stamina quinque flava, totidem Apices flavos gerentia: has partes veſtiunt Petala quinque flava, exigua admodum, Calyce amplo, flavo, munita, in quinque ſegmenta profunde diviſo.

NOVUM hoc Plantae genus prope Veram Crucem invenit Houſtonus, nomenque ei impoſuit doctiſſimi Joannis Frederici Gronovii, Medicinae Doctoris Lugduno-Batavi.

SEMINA in pulvinis ſtercoratis eodem cum Amaranthis modo ſeruntur. Deinde vero in Hybernaculum cortice calens transferuntur, ubi ſpatium aliquod relinquendum eſt, ut ramos poſſint extendere, aliter enim vicinas omnes plantas caulibus ſuis volubilibus obvolvent. Si coelum calidum fuerit, ſaepe irrigentur. Semina in horto Chelſeyano, anno ſuperiore, quo primum ſata fuerunt, non perduxerunt.

MILLERIA

Granavia scandens lappacea, pampinea fronde Houstoun.

QUI SERA SERA

Martino Folkes
Armigero

E. Kirkall fecit.

Milleria annua, erecta, foliis conjugatis, floribus spicatis luteis Houstoun.

Philippo Miller Soc. Reg. Lond.
Sodali.
Horti. Bot. Chelseyani Hortulano.

MILLERIA annua, erecta; foliis conjugatis; floribus ſpicatis, luteis Houſtoun.

NOVAM hanc & ſingularem omnino plantam prope Veram Crucem invenit amicus ſupra laudatus. Nomen quidem obtinet amici jucundiſſimi Philippi Miller, viri paucis admodum in plantarum cognitione, nulli vero in earum cultura ſecundi. Hiſce autem verbis Generis definitio ab ipſo inventore ſcribitur.

" MILLERIA eſt Plantae genus, flore compoſito, conſtante pluribus floſculis, & unico ſe-
" miſloſculo, communi calyce comprehenſis. Floſculi omnes ſteriles ſunt, ſed ſemiſloſculo
" ſuccedit Semen unicum."

Ex Radice fibroſa, Caulis aſſurgit, quinque aut ſex pedes altus, quadratus, ſulcatus, verſus imam partem bullis albicantibus aſper. Rami ex alis foliorum inter ſe contrarii oriuntur. Folia etiam habet adverſa, ſerrata, perampla, caudata, nervo donata ex purpura nigro, deinde in latitudinem ſtatim ampliata, unde in mucronem acutum deſinunt. Nervi, ubi Cauda deſinit, verſus extremitatem Folii brachiantur. In ſummitate plantae, atque in extremitatibus ramulorum, qui bifariam ſemper dividuntur, Flores habentur compoſiti, ſingularis admodum ſtructurae: Ovario namque monoſpermo quatuor Floſculi flavi inſident, Stylo per vaginam nigro-purpuream tranſeunte, & ſemiſloſculus unicus, trifidus.

SEMINIBUS tantummodo propagari poteſt, quae Martio menſe in pulvino ſtercorato ſerantur. Cum plantae ſe primo oſtenderint, eas in alium pulvinum ſtercoratum transferto. Cum ad altitudinem pedalem ſe attulerint, cum terra radicibus adhaerente eas evellito & in vaſa fictilia, terra levi, pingui repleta transferto. Ipſa autem vaſa fictilia in pulvinum cortice ſtercoratum demittito, atque in Hybernaculo ſervato.

MARTYNIA annua, villoſa & viſcoſa; folio ſubrotundo, flore magno, rubro Houſtoun.

PLANTAE huic non minus eleganti quam novae hoc nomen imponere dilectiſſimo Houſtono placuit, ne amici ſui periturum nomen omnino ignorarent poſteri. Genus autem hoc modo definivit ipſe vir ornatiſſimus.

" MARTYNIA eſt Plantae genus, flore monopetalo, anomalo, in duo quaſi labia ſciſſo, quo-
" rum ſuperius bifidum eſt, & ſurrectum, inferius vero tripartitum, ſegmento medio majore,
" Fructus membrana coriacea tegitur, intus autem eſt officulum, quatuor ſeminibus foetum."

RADICES habet fibroſas, annuas. Caules pollicem craſſos, ex viridi rubeſcentes, villoſos, in ramos bifariam diviſos, foliis veſtitos adverſis, peramplis, villoſis, viſcidis, ſinuatis. Flores in ramorum divaricationibus, in thyrſo collocantur, androgyni, monopetali; petalo in quinque ſegmenta inaequalia diviſo, externe pallide rubro; admodum villoſo, interne macula ſaturatius purpurea in ſingulis ſegmentis notato, maculis, in parte tubuloſa, hinc inde conſperſo, & maculis flavis in parte inferiori vario. Calycem habet duplicem; exteriorem nempe quadrifolium, interiorem trifolium, utrumque irregularem, e viridi rubrum. Ex Ovario aſſurgit Stylus ſimplex, compreſſus: ex Petali autem parte interiore Stamina quatuor cum ſuis Apicibus, duo quidem majora, duo autem minora. Fructus ſuccedit viridis, putamine coriaceo tectus, quod bifariam dehiſcens, officulum praedurum oſtendit, in quatuor loculamenta diviſum, quorum in ſingulis continetur Semen unicum, oblongum, nigrum.

PROPE Veram Crucem inventam ad Hortum Chelſeyanum, anno 1731, miſit Houſtonus noſter. Semina in pulvino calente, Martio ineunte ſerito. Cum Plantae ſe extulerint, eas in vaſa fictilia ponito, atque in Hybernaculum cortice calens transferto. Poſt mediam aeſtatem Flores jucundo ſpectaculo ſe prodent; & Semina ad maturitatem pervenient.

Martynia annua, villosa & viscosa; folio subrotundo; Flore magno, rubro Houstoun.

Crotalaria Americana caule alato foliis pilosis, floribus in thyrso luteis.

D. Boudanger de Chaumont. Parisiensi.

HISTORIAE
PLANTARUM RARIORUM
CENTURIAE PRIMAE
DECAS QUINTA.

ROTALARIA Americana, caule alato, foliis piloſis, floribus in thyrſo luteis.

Caulem habet alatum, Foliis veſtitum ſimplicibus, tres uncias longis, unam latis, ſuperne pilis albicantibus obſitis, inferne vero incanis. Ex alis foliorum Thyrſi proveniunt, Floribus ornati papilionaceis, pendulis, quorum Petala flava ſunt, & Calyx quinquepartitus. Singulis floribus ſuccedit Siliqua, ſeſcunciam longa, tumida, Semina plura continens, pediculo longo adnata.

Semina hujus Plantae ex Portu Bello anno 1734 miſit Robertus Millar Chirurgus, quae in horto Chelſeyano ſata Flores & Fructus quotannis protulerunt. In Pulvino fimo calente Martio ineunte ſerito. Cum plantae uncias duas altae fuerint, ſingulas in vaſa fictilia ſingula minora transferto: illa vero terra recenti impleto, & in pulvinum cortice calentem demittito. A ſole, donec coaleſcant plantas defendito: deinde vero aërem tepidum quotidie admittito; atque eas ſaepius irrigato. Cum eo uſque adoleverint ut tectum pulvini attigerint, in vaſa majora, in pulvinum hypocauſti demittenda, eas transferto; ubi flores producent, & ſemina perficient: quo facto plantae ſunt periturae.

ANONIS Caroliniana, perennis, non ſpinoſa; foliorum marginibus integris; floribus in thyrſo candidis.

Ex Radice reſtibili ad trium aut quatuor pedum altitudinem aſſurgit, Caule viridi, ramoſo, farina cinerea undique obducto. Foliis veſtitur trifoliatis, quorum lobi ex anguſta baſi in latitudinem ſemuncialem augenter, & deinde in acumen definunt, marginibus integris. Caulis in thyrſum definit florum papilionaceorum, quorum ſinguli pediculo ſemunciali inſident. Flos autem Ovario conſtat oblongo, compreſſo, inter petala duo, quae carinam conſtituunt, poſito, & decem Apicibus aureis, ſtaminibus viridibus innixis. Petalis ornatur quinque, albis; vexilli lateribus reflexis, parte media interna concava, luteſcente, punctulis purpuraſcentibus aſperſa, in extremitate bifida. Calyce munitur tubuloſo, in quatuor ſegmenta diviſo quorum unus major vexillo imponitur, tria minora alas & carinam ſuſtinent. Siliqua ſuccedit ſeſcuncialis, tumida, ſeminibus donata reniformibus, pediculo annexis.

CAROLINAE meridionalis incola eſt, unde Cateſbeius ſemina attulit anno 1724. Semina verno tempore in pulvino modice ſtercorato ſerito. Cum ad unciae unius altitudinem plantae pervenerint, eas in vaſa fictilia minora transferto, quae in alium pulvinum ſunt demittenda. Ibi a ſole donec coaleſcant defendito. Deinde caelo liberiori exponito, & frequenter irrigato. Aeri plantas adoleſcentes paulatim aſſuefacito, ita ut Junio menſe caelum apertum non reformident, quo tempore in apricum locum eas deferto, a ventorum injuriis munitum. Octobri menſe in pulvinum ſtercoratum deferto, atque aeri quotieſcunque caelum permiſerit exponito. Vere ſequenti ex vaſis fictilibus in terram locis tepidioribus, transferantur, ubi per plures annos facile ſervantur; & flores quotannis Junio oſtendunt; ſemina autem Auguſto ad maturitatem perducunt.

SINAPISTRUM

Anonis Caroliniana, perennis, non spinosa; foliorum marginibus integris; floribus in thyrso candidis.

SIGILLUM HOSPITII HUMFREDI CHETHAM ARMIGERI.
QUOD TUUM TENE

Guardianis Bibliothecae et Hospitii in Mancunio, ab Humfredo Chetham Armigero fundatorum, et a Carolo secundo incorporatorum.

E. Kirkall fe.

Sinapistrum Indicum, spinosum flore carneo, folio trifido vel quinquefido Houstoun.

Roberto Nicholls
Pharmacopœo Londinensi.

Gul. Houstoun M.D. pinx.

E. Kirkall sc.

SINAPISTRUM Indicum, ſpinoſum, flore carneo, folio trifido vel quinquefido Houſtoun Cat. MSS.

CAULE aſſurgit tereti, hirſuto, rubro, ſtriato, ramoſo ad foliorum exortum ſpinoſo. Foliis veſtitur digitatis, trifoliatis vel quinquefoliatis, per margines aequalibus, hirſutis, nervo uno per medium lobi decurrente, ramis alternis undique obſito. Calyx quatuor foliis anguſtis conſtat. Petala quatuor purpuraſcentia ſurſum tendunt; ſtamina vero ſex, rubri coloris, Apicibus flavis coronata, deorſum feruntur. Floribus ſuccedunt Siliquae triunciales teretes, unicapſulares, bivalves, a ſummitate ad imum dehiſcentes. Valvis delapſis, & ſeminibus effuſis manet Nervus cui Semina adhærebant, & quo Valvae fuerant clauſae.

IN Cuba Inſula primus invenit Houſtonus, qui ejus ſemina anno 1730 ſecum in Angliam attulit. Seminibus tantummodo feritur. In pulvino modice ſimo calente Martio menſe ſerito. Cum plantae unciam altae fuerint, eas in alium pulvinum transferto: quatuor unciarum ſpatium inter ſingulas relinquito: per aliquot dies donec coaleſcant a ſole defendito: deinde ſaepius irrigato, atque eas aëri libero quotidie exponito. Cum eo uſque plantae adoleverint, ut ſe mutuo tangant, eas cum terra adhaerente in vaſa fictilia terra levi ac pingui repleta ponito, atque ſub tectum cortice calens referto. Auguſto menſe flores ſe oſtendunt, & Septembri ſemina perficiuntur.

RICINOIDES

RICINOIDES herbaceum, foliis trifidis vel quinquefidis, & ferratis Houſtoun. Cat. MSS.

" CAULES huic Plantae teretes, ſulcati, harbacei, leviter hirſuti; erecti, ramoſi, ſeſquipedem plerumque " alti. Rami plerumque terni ſimul ex caule oriuntur, ipſique ſimilem diviſionem obſervant. Folia infe- " riora in quinque, ſuperiora vero in tres lacinias dividuntur, ſuntque glabra, & per ambitum ſerrata. In ſum- " mis caulibus & ramulis proveniunt ſpicae quinque vel ſex uncias longae, quarum medietatem ſuperiorem " occupant Flores maſculini, exigui, conſtantes Calyce quinquefido, quinque Petalis minimis, utriſque pur- " pureis, & multis Apicibus luteis, brevibus Staminibus inſiſtentibus. Flores hi integri decidunt, cum ſuis Pedi- " culis: Inférius vero in iiſdem Spicis naſcuntur Flores foeminini, nullis Petalis, quantum deprehendere " potui, inſtructi, ſed Embryone conſtantes ſubrotundo, Calyce polyphyllo viridi comprehenſo, & tubo inſtructo " ab ipſo exortu trifido, & expanſo; purpuraſcente, & ad extrema fimbriato, qui etiam maturo fructu durat. " Fructus ipſe tricoccus eſt, ut in congeneribus, glaber, & magnitudinis Piſi maximi, vel Fabae equinae." Houſtoun.

CIRCA Veram Crucem frequens eſt, teſte Houſtono, qui ſemina ejus anno 1730 in Europam miſit. Planta eſt annua. Semina pulvino modice calente Martio ineunte ſerito. Cum plantae duas uncias altae fuerint, eas in vaſa fictilia minora, terra levi repleta transferto, atque ipſa vaſa in pulvinum cortice ſtercoratum demittito: quotidie irrigato, & a ſole donec coaleſcant defendito. Deinde tepidis diebus & inſolatis aërem admittito. Aprili, cum vaſa jam radicibus tota opplentur, plantas in vaſa majora terra conſimili repleta tranſferto, eaque iterum in pulvinum cortice calentem demittito: aërem admittito, & aquam pro tempeſtatis ratione adhibeto. Julio florent, & Auguſto ſemina perficiuntur; quo tempore alternis diebus videto, ne fructus maturi diſrumpantur, quod niſi diligenter feceris, periculum eſt ne ſemina hinc inde ſparſa fruſtra quaeras.

MILLERIA

Rianoides herbaceum, foliis trifidis vel quinquefidis, et serratis Houstoun.

Collegio S.S. et Individuæ Trinitatis
in Academia Cantabrigiensi.

Milleria annua, erecta, minor, foliis Parietariæ;
floribus ex foliorum alis Houstoun.

Jacobo Justice
de Crighton Armigero.

Milleria annua, erecta, ramosior,
foliis maculatis, profundius serratis.

E. Kirkal fe.

MILLERIA annua, erecta, minor, foliis Parietariae ; floribus ex foliorum alis Houſtoun Cat. MSS.

A RADICE annua Caulem attollit ſtriatum, ex viridi rubeſcentem, valde ramoſum : ad ſingulos enim Caulium nodos rami plures oriuntur, parte inferiore nudi, verſus ſummitatem vero Foliis veſtiti, adverſis, per margines leviter inciſis. Flores verſus ſummitatem Caulis & ramorum naſcuntur, in foliorum alis, conglomerati, flavi, Floſculis conſtantes binis, ſterilibus, & Semifloſculo unico, qui Ovario compreſſo inſidet. Calycem habent duplicem, interiorem bifolium, exteriorem unifolium, ſubrotundum. Semen ſuccedit compreſſum, acuminatum.

Ex Campechia miſit Houſtonus anno 1730.

MILLERIA annua, erecta, ramoſior, foliis maculatis, profundius ſerratis.

MILLERIAE in Decade quarta deſcriptae primo intuitu ſimilis admodum videtur. Eſt autem aliquanto humilior & ramoſior. Folia etiam ſunt magis profunde ſerrata, minora, magis acuminata, & maculis nigricantibus notata. Floſculi tres & Semifloſculus unus Florem conſtituunt.

Ex Panama miſit Robertus Millar Chirurgus, anno 1735.

SPECIES utraque Seminibus tantummodo feritur, & eodem modo, quo Sinapiſtrum jam deſcriptum colitur.

LIMONIUM Africanum, caule alato; foliis integris, hirſutis; petalo pallide flavo; calyce amoene purpureo.

CAULEM habet alatum, alis in folia deſinentibus, quae triangularia ſunt, gladii fere in modum. Folia autem inferiora duas uncias longa ſunt, ex anguſto principo in latitudinem ſemuncialem aucta, & in mucronem tandem deſinentia, utrinque hirſuta, integra. Flores in capitulum congeruntur; Petalo donati pallide flavo, ex tubo longo in quinque ſegmenta expanſo; & Calyce tubuloſo, integro, in ſumma parte ex caeruleo purpuraſcente, poſt petalon delapſum magnitudine aucto, & cyathum pulchre caeruleum vel ex caeruleo purpureum non male ſimulante.

PRO Limonio peregrino, foliis Aſplenii C. B. noſtrates diu habuerunt; quapropter folium illius plantae ſeorſim depingendum curavi: caeteris enim partibus valde inter ſe ſimiles ſunt.

MARTIO menſe in terra levi ſerito. Cum plantae tres uncias altae fuerint, in vaſa fictilia, terra levi repleta eas transferto, ſoli matutino exponito; & ſi tempeſtas ſicca fuerit, frequenter irrigato. Octobri & inde per totam hyemem tecto ſtercorato a gelu defendito; quotieſcunque autem caelum permiſerit, aeri exponito. Vere ſequenti in vaſa majora transferto, & caelo liberiori iterum exponito. Junio, niſi aquam deneges, pulchre florent, &, caelo favente, ſemina ad maturitatem perducunt.

TURNERA

Limonium Africanum, caule alato; foliis integris, hirsutis; petalo pallide flavo calyce amœne purpureo.

Limonium peregrinum, foliis Asplenij C.B.

Johanni Lowther Pharmacopœo Londinensi.

E. Kirkall fe

Turnera frutescens, folio longiore et mucronato Miller.

Jacobo Howe de Berwico S.t Leonardi
in Comitatu Wiltoniensi Baronetto

Turnera frutescens
ulmi-folia Plum.

E. Kirkall fe.

TURNERA frutescens, ulmi-folia Plum. Nov. Gen. p. 15.

CAUDICE assurgit ramoso, ex fusco & cinereo colore vario; Foliis vestito alternis, ad margines profunde incisis sesquiunciam aut duas uncias longis, unciam unam latis. Flores habet androgynos; Apicibus nempe quinque aureis, Staminibus latis compressis insidentibus; & Ovario subrotundo, stylo fimbriato triplici donato, constantes. Has partes ambiunt Petala quinque flava, ex interiore parte Calycis orta, unde hunc florem monopetalum fuisse existimavit Plumerius. Calyx autem ex pallide luteo virescens, primo tubulosus est, deinde in quinque segmenta expanditur. Fructu gaudet ovato, per maturitatem in tres partes dehiscente.

IN Insula Martinico primus invenit Plumerius.

TURNERA frutescens, folio longiore & mucronato Miller, Gardener's Dict. Append: Cistus Urticae folio, flore luteo, vasculis trigonis Sloane Cat. Jam. p. 86. Hist. Jam. Vol. I. p. 202. Tab. 127. Fig. 4, 5.

FOLIA huic quam in praecedente duplo longiora, minus autem lata; & Flos magis apertus.

VIA qua versus locum *the Angels* dictum itur, nec non in collibus *the Red Hills* dictis copiose crescentem invenit clarissimus Sloanius. Utramque speciem variis in locis invenit Houstonus.

SEMINA in pulvino stercorato primo vere serito. Cum duas uncias altae fuerint in vasa fictilia minora transferto, eaque in pulvinum cortice calentem demittito. Diligenter irrigato, atque a sole, donec coalescant defendito. Sub finem Augusti vel Septembris initium in hybernaculum cortice calens referto.

HELLEBORINE Americana; radice tuberosa; foliis longis, angustis; caule nudo; floribus ex rubro pallide purpurascentibus.

RADIX huic tuberosa, alba; ex qua tria aut quatuor, nonnunquam plura, oriuntur folia sesquipedalia, venosa, semiunciam lata. Caulem etiam attollit fere tripedalem, nudum, Floribus onustum versus partem superiorem, sparsis, elegantissimis, odoratis. Flos autem androgynus est, & umbilicatus: Ovario namque unciali insidet Stylus fornicatus, pallide luteus, qui floris labiati galeam mentitur; Stamina tenuia, flavescentia; & Petala sex, nullo Calyce munita. Horum unum quidem quadrifidum est, labio simile, alia autem duo carinae floris papilionacei in modum coëunt; reliqua vero tria expanduntur, & pro Calyce forsan haberi possunt.

HANC plantam a Providentia Americae insula, anno 1731, exiccatam accepit Petrus Collinson, plantarum cultor eximius. Ille autem, de radice non desperans, misit eam ad hortum clarissimi Wageri, ubi pulvino cortice calenti per totam hyemem commissa, convaluit, atque anno proximo flores suos ostendebat.

PLANTIS radicis, Maio ineunte, foliis nondum emersis, in vasis fictilibus terra levi repletis, recte seritur. Ipsa autem vasa in pulvino cortice stercorato perpetuo servantur. Plantas aestivo tempore frequenter irrigato: per hyemem autem aquam parca manu, ne radices pereant, adhibeto. Flores Augusto mense proveniunt, & ad hyemem usque durant.

GRANADILLA

Helleborine Americana; radice tuberosa; foliis longis, angustis; caule nudo; floribus ex rubro pallide purpurascentibus.

Petro Collinson Mercatori Londinensi.

E. Kirkall fe.

Granadilla folio hastate, holoserices, petalis candicantibus fimbrijs ex purpureo et luteo varijs.

Georgio Lloyd M.B.

E. Kirkall fe.

GRANADILLA folio haſtato, holoſericeo, petalis candicantibus, fimbriis ex purpureo & luteo variis.

CAULE aſſurgit tereti; ſcandente, tomento albicante obſito, & Foliis alternis veſtito. Cauda folii unciam unam longa eſt, & tuberculo, tanquam folii veſtigio, quod jam deciderat, utrinque donatur. Folium utrinque ſinuatum eſt, & lanugine molli, Althaeae in modum veſtitur: nervi tres majores a cauda ad folii marginem tendunt, & ſpina molli, exigua terminantur: ejuſmodi etiam duae juxta baſin folii conſpiciuntur. Ex ſingulis foliorum alis Capreolus, & bini Flores proveniunt. Flos autem pediculo unciali inſidet, & ſeſcuncialem habet diametrum. Calyx in quinque ſegmenta dividitur, externe vireſcentia, interne fere candida. Petala habet quinque candicantia, & Fimbrias incurvas, ſemunciales, primo purpureas, deinde flavas: ſupra has conſpiciuntur aliae, dimidio breviores, admodum tenues, purpureae, extremitatibus albis. Circa mediam floris partem Corolla erigitur, flaveſcens, in ſummitate purpurea, non in plures partes diviſa, ſed per totum ambitum continua, & ventilabri, quo ornantur mulieres, in modum plicata. Ex centro floris aſſurgit Columella pallide purpurea, Stamina quinque gerens compreſſa, viridia, & Apices totidem latos, flavos. Horum in medio ſedet Ovarium, Stylo triplici ornatum, cujus partes ſingulae Fibula terminantur.

SEMINA hujus plantae ex Vera Cruce ad Hortum Chelſeyanum miſit Houſtonus.

SEMINA pulvino ſtercorato vere primo committito. Plantas autem in vaſa fictilia terra levi repleta, & in pulvinum cortice calentem demiſſa transferto. Feneſtras ſub meridiem, donec plantae coaleſcant, ſtramentis tegito. Deinde frequenter irrigato, & aëri tepido eas frequentur offerto. Cum eo uſque adoleverint, ut tectum pulvini tangant, in vaſa fictilia majora eas transferto, atque in pulvinum hypocauſti demittito. Caules, ſi vallo eos ſuſtineas, ad viginti pedum altitudinem aſſurgent, & flores copioſe proferent.

PROPAGATUR etiam ramo in corticem, aeſtu molliore, depreſſo; & poſt trimeſtre ſpatium, amputato flexu, plantaque in vas fictile tranſlata.

GRANADILLA folio lunato ; flore parvo, albo; fructu ſucculento, ovato Houſtoun, Cat. M. S. S.

CAULE aſſurgit ſcandente, ſulcato, & quaſi anguloſo ; Foliis alternis veſtito, caudis ſemuncialibus appenſis. Folia ſingulari quidem modo, lunae creſcentis, vel ſoleae equinae in modum ſinuantur. In ſingulis foliis Nervi tres, ramoſi conſpiciuntur, quorum medius recte a cauda ad mediam folii extremitatem, duo ab eodem centro ad extremitates laterales tendunt. Inter nervum medium, & utrumque lateralem quinque aut ſex maculae, ſeu potius foveae ſe oſtendunt quarum pars concava in ſuperficie folii inferiore cernitur, ordine nervo laterali fere parallelo. Singuli autem Nervi ſpinula molli terminantur. Ex foliorum alis Capreolus & bini plerumque prodeunt Flores, pediculis uncialibus inſidentes. Flores ſeſcuncialem habent diametrum, androgyni, Ovario quippe conſtantes, Stylo triplici ornato, cujus partes ſingulae Fibula clauduntur ; & Columella alba, Stamina quinque alba ſuſtinente, cum Apicibus flavis. Corollam habent viridem, in ſummitate albam, ventilabri in modum plicatam ; & Fimbrias incurvas, primo virides deinde flavas, erectas. Has partes Petala quinque alba ambiunt ; haec autem Calyce quinquepartito, externe vireſcente, interne fere candido veſtiuntur.

" ODOREM nullum & vix ſaporem in radice deprehendi, ſed poſt Fructus perfectionem evulſi." Houſtoun.

AB eodem loco miſit Houſtonus ; eodem etiam cum praecedente modo haec Planta colitur.

HANC plantam *Coanenepilli ſeu Contrayervae* nomine deſcripſiſſe videtur Hernandez. Contrayervam autem qua Medici utuntur longe aliam eſſe plantam abunde demonſtravit Houſtonus noſter in Actis Philoſophicis Londinenſibus. In figura autem quam Hernandez exhibuit, nervi foliorum, & fovearum diſpoſitio quas clavos ille vocat, male exprimuntur. Folium etiam magis profunde, quam in planta apud nos creſcente, dividitur: quod tamen cum planta, quam ab ipſo ſiccatam mecum communicavit Houſtonus, magis convenit.

FIGURA *Ferri equini volubilis* quam Muntingius exhibuit, in libro Belgice ſcripto, a figura Hernandeziana mutuata fuiſſe omnino videtur. Idem etiam hanc plantam *Contrayervam* ab Hiſpanis vocari aſſerit. Omnes autem plantas alexipharmacas *Contrayerva* ſua lingua Hiſpani vocare ſolent.

Granadilla folio lunato, flore parvo, albo; fructu succulento avato. Houstoun.

Gulielmo Roell
Anatomiæ Professori Amstelaed.

E. Kirkall fe.

New York Botanical Garden Library
QK98 .M352 f c.2 gen
Martyn, John/Joannis Martyn Historia pla
3 5185 00094 3926